DE METONYMIAE IN CL. CLAVDIANI CARMINIBVS VSV

OTTO VOLLRATH

DE METONYMIAE IN CL. CLAVDIANI CARMINIBVS VSV

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

OTTO VOLLRATH

IENENSIS

WEIDAE

TYPIS THOMAE ET HUBERTI

MCMX

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

Jena, den 13. November 1909.

Geheimer Hofrat Professor Dr. **Michels,**
d. Zt. Dekan.

PARENTIBVS · CARISSIMIS

SACRVM

Cl. Claudiani carmina si quis diligentius legerit, illum epicae artis poetam, qui circa annum p. Chr. n. quadringentesimum Arcadio et Honorio imperatoribus floruit, summo studio maximaque diligentia aureae aetatis quae dicitur poetas fovisse inveniet. Atque inter omnes poetas, e quibus Claudianus hausit, primum obtinet locum Vergilius, qui ut Homerus apud Graecos ita apud Romanos artem epicam poetis posteriorum temporum tradidit. Quem quantopere hic poeta sit imitatus sententiis, descriptionibus, comparationibus, dicendi genere Gramlewiczius[1]), Ieepius[2]), Trumpius[3]) iam satis tractaverunt. Claudianum autem Maronem etiam in ornatu rhetorico adhibendo nec minime metonymiae usu esse secutum non est cur miremur. Quod quomodo fecerit, h. e. quomodo Claudianus metonymia usus sit, quaestionem instituere mihi proposui.

De metonymia autem in universum multi viri docti et temporis antiqui et recentis verba fecerunt. Post alios inprimis Ricardus Fenger in dissertatione, quam scripsit „De metonymiae in epigrammatis Martialis usu" (Ienae 1906), definitiones auctorum veterum gravissimas collegit et enumeravit, quae ad talem quaestionem tractandam necessariae sunt: sed ne sic quidem, cum illa sint quasi fundamentum quaestionis, hoc loco prorsus praetermitti posse videntur.

Apud auctorem ad Herennium[4]) haec invenimus: „Denominatio est, quae ab rebus propinquis et finitimis trahit orationem, qua possit intellegi res, quae non suo vocabulo sit appellata. Id aut (ab) inventor(e) conficitur . . . aut ab invento,

---

[1]) Quaestiones Claudianeae, diss. phil. Vratislaviae 1877.

[2]) Editionis Claudiani vol. II (Lipsiae 1879) p. LXXVII sqq.

[3]) Observationes ad genus dicendi Claudiani eiusque imitationem Vergilianam spectantes, diss. phil. Vratislaviae 1887.

[4]) IV, 32, 43.

ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet, aut instrumento dominum . . . aut id, quod fit, ab eo, qui facit — aut si, quod facit, ab eo, quod fit . . . ab eo, quod continet, id, quod continetur . . . denominabitur . . . ab eo, quod continetur, (id, quod continet) . . .“ Atque apud Tryphonem legimus[1]): „*Μετωνυμία ἐστὶ λέξις ἀπὸ τοῦ ὁμωνύμου τὸ συνώνυμον δηλοῦσα, οἷον σπλάγχνα δ'ἄρ' ἀμπείραντες ὑπείρεχον Ἡφαίστοιο· Ἥφαιστος γὰρ ὁ εὑρὼν τὸ πῦρ· καὶ ὅταν τὸν πυρὸν Δήμητραν εἴπωμεν. ἢ ἀπὸ τῶν εὑρόντων τὰ εὑρήματα, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τοῦ εὑρήματος τὸν εὑρόντα, οἷον οἶνός μ' ἔπεισε, δαιμόνων ὑπέρτατος.*“ Cicero[2]) metonymiam ita definit: „immutata (ea dico), in quibus pro verbo proprio subicitur aliud, quod idem significet sumptum ex re aliqua consequenti. Quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, cum dixit Ennius: ‚arce et urbe orba sum‘ pro patria, alio modo, ‚horridam Africam terribili tremere tumultu‘ cum dicit, pro Afris immutat Africam. Hanc *ὑπαλλαγήν* rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis, *μετωνυμίαν* grammatici vocant, quod nomina transferuntur“. Idem alio loco[3]): „Non est autem in verbo modus hic, sed in oratione, id est in continuatione verborum. Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet: ‚Africa terribili tremit horrida terra tumultu‘. Pro ‚Afris‘ est sumpta ‚Africa‘; neque factum est verbum, ut: ‚Mare saxifragis undis‘; neque translatum, ut: ‚Mollitur mare‘; sed ornandi causa proprium proprio commutatum; ‚Desine, Roma, tuos hostes‘ et: ‚Testes sunt Campi magni‘ . . . Gravis est modus in ornatu orationis et saepe sumendus; ex quo genere haec sunt: ‚Martem belli esse communem‘, ‚Cererem‘ pro frugibus, ‚Liberum‘ appellare pro vino, ‚Neptunum‘ pro mari, ‚curiam‘ pro senatu, ‚campum‘ pro comitiis, ‚togam‘ pro pace, ‚arma ac tela‘ pro bello; quo item in genere et virtutes et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: ‚Luxuries quam in domum irrupit‘, et: ‚Quo avaritia penetravit‘; aut ‚Fides valuit, Iustitia confecit‘.“ Denique Quintilianus[4]): „Nec procul“, inquit, „ab hoc genere discedit

[1]) Spengel, Rhet. Graeci III, p. 195.

[2]) Orator 27.

[3]) De oratore III, 42.

[4]) VIII, 6, 23.

metonymia, quae est nominis pro nomine positio [cuius vis est, pro eo, quod dicitur, causam, propter quam dicitur, ponere] sed, ut ait Cicero, hypallagen rhetores dicunt. Haec inventas ab inventore, et subiectas res ab obtinentibus significat, ut ‚Cererem corruptam undis', et ‚receptus Terra Neptunus classes aquilonibus arcet'."

Ut veterum, ita etiam sententiae virorum doctorum huius aetatis inter se discrepant, quas omnes enumerare longum est. Recentiorum subtilissime sagacissimeque naturam ac vim metonymiae sine dubio Ericus Lindskog exposuit in commentatione academica, quae inscribitur „In tropos scriptorum Latinorum studia" (Upsaliae 1903). Divisio hac in dissertatione prolata, quam ab omnibus, qui huic rei operam dant, accipiendam censeo, a me quoque adhibebitur in hac quaestione instituenda ita, ut primum disputem de metonymia, quae et ad deos hominesve et res pertinet, deinde de ea, quae in rebus solis versatur, denique exempla afferam, in quibus hic tropus pluribus conficitur verbis.

§ 1. Sed nunc me ad ipsa Claudiani[1]) exempla percensenda convertam eam divisionem sequens, quam modo indicavi. Primum igitur ad id genus transgredior, quo dei aut homines vel significandi causa adhibentur vel ipsi significantur. Proficiscor autem ab iis exemplis, in quibus dei vel homines significandi causa ponuntur pro rebus, quae sensibus sunt subiectae.

Saepissime dei inveniuntur pro rebus, quibus praesunt vel quas hominibus dono dederunt. Sic Iuppiter sumitur pro caelo: Prob. et Olybr. cons. 37[2]); In Eutr. I, 5; Bell. Poll. 379; In Aleth. quaest. 2; Iuppiter vel Tonans pro Iovis stella: Cons. Stil. II, 7, 437. Pro stellis praeterea leguntur Saturnus: Cons. Stil. II, 439; In Curet. II, 7; Mars aut Gradivus: III cons. Hon. 167; Cons. Stil. II, 437; In Curet. II, 3;

---

[1]) Carminum minorum appendicem et carmina Graeca non perscrutatus sum, cum in his nova atque manifestiora exempla inveniri non sit verisimile.

[2]) In versibus afferendis secutus sum Birtii editionem (Monum. Germ. hist. tom. X, Berolini 1892). Praeterea in locis interpretandis adhibui editionem Barthii, Francofurti 1650; Gesneri, Lipsiae 1759; Koenigii, Gottingae 1808. — Cf. Birtii editionis indicem, ubi in singulis verbis enumeratis saepe usus metonymicus est allatus.

Castor et Pollux: Prob. et Olybr. cons. 244. Sic solem significat Sol: In Ruf. I, 10; Epist. ad Olybr. 14; Titan: Prob. et Olybr. cons. 94; Nilus 33: „Quoque die Titana canis flagrantior armat" i. e. quo tempore Sirii ardor solis calorem auget. Porro pro sole usurpatur Phoebus: In Ruf. I, 129; II, 104; In Eutr. I, 397; Fesc. II, 40; III cons. Hon. 9, 166; IV cons. Hon. 286; Cons. Stil. II, 302, 440; VI cons. Hon. 412; Bell. Poll. 244; Rapt. Pros. II praef. 48; Apollo: VI cons. Hon. 25; Aurora: Gigant. 34. Pro luna exstat Luna: Bell. Gild. 223; Cons. Stil. II, 438; Phoebe: In Ruf. I, 9; Cynthia: IV cons. Hon. 427; Bell. Gild. 228; Phoenix 38; In sphaer. Arch. 10. Aurora dicitur pro ea terrae parte, quae ad solem orientem spectat eiusque incolis[1]): In Ruf. II, 100; Bell. Gild. 61; In Eutr. I, 427; III cons. Hon. 69; Cons. Stil. I, 155; VI cons. Hon. 84; Laus Ser. 166. Pro mari occurrit Neptunus: In Ruf. I, 279; Bell. Gild. 141 („frater"); Nereus: In Ruf. I, 183; II, 303; In Eutr. II, 34; VI cons. Hon. 496; Bell. Poll. 320. Eodem modo reperiuntur adiectiva e Neptuni Nereique nominibus derivata: Laus Ser. 128sq.: „ipsaque Proteus Arcet ab amplexu turpi Neptunia monstra", ubi monstra mare habitantia sunt intellegenda; IV cons. Hon. 592: „variis spirat Nereia baca figuris" i. e. margarita, quae in maris conchis nascitur; Rapt. Pros. I, 103sq.: „Nereia glauco Neptunum gremio complectitur Amphitrite", ubi Amphitrite mare incolens dicitur. Praeterea maris significationem recipit Oceanus: Bell. Gild. 455; Cons. Manl. Theod. 108; In Eutr. II, 23, 248; Cons. Stil. I, 215; II, 249, 409; III praef. 8; III, 148; Bell. Poll. 203, 640; Epith. Pall. et Cel. 91, 161; Laus Ser. 41; Gigant. 11; Rapt. Pros. I, 270; Amphitrite: Bell. Poll. 337; Doris: Cons. Manl. Theod. 45; Tethys: Prob. et Olybr. cons. 35; In Ruf. I, 132; II, 148; In Eutr. I, 392; III cons. Hon. 58; IV cons. Hon. 597; Cons. Manl. Theod. 50; Cons. Stil. II, 252; Bell. Poll. 335; Phoenix 16; Rapt. Pros. III, 320; Thetis: Rapt. Pros. I, 150. Triton substituitur pro Tritonis lacu: IV cons. Hon. 36; Cons. Stil. I, 252; Aeolus pro vento: Depr. ad Hadr. 35; Iris pro arcu: De cryst. V, 5; Mulciber pro igne: Cons. Manl. Theod. 327; Rapt. Pros. III, 397. Eadem

[1]) Vide Pauckerum, qui Mus. Rhen. t. XXXV (1880), p. 596sq. nonnulla exempla metonymiae apud Claudianum exstantia composuit.

ratione ponitur adiectivum e Vulcani nomine deductum: Rapt. Pros. I, 172: „quo fonte ruit Vulcanius amnis?“ Ut ad cetera huius metonymiae formae exempla progrediamur, Ceres legitur pro frumento: In Ruf. I, 327; In Eutr. II, 270; Cons. Stil. II, 394; Bell. Poll. 350. Pro vino exstat Bacchus: Cons. Stil. II, 457; Lyaeus: Bell. Gild. 445; In Eutr. II, 435; Bell. Poll. 349; Rapt. Pros. II, 353. Hymen, nuptiarum deus, designat cantum nuptialem: Epist. ad Ser. 2. Musae sumuntur pro carminibus: In Ruf. II praef. 16; Musa pro epistula: Epist. ad Olybr. 23 sq.: „Dignatus tenui Caesar scripsisse Maroni, Nec tibi dedecori Musa futura. Vale“. Similiter Echo nympha dicitur pro voce repercussa: VI cons. Hon. 33, 617; Epith. Pall. et Cel. 49. Penates occurrunt pro domo et regia et privata eiusque incolis: Prob. et Olybr. cons. 46; In Ruf. I, 82, 161; II, 267; In Eutr. I, 131; II, 353; Nupt. Hon. 25, 228; Cons. Manl. Theod. 125; VI cons. Hon. 53; Laus Ser. 101; Rapt. Pros. I, 180; III, 73, 187; pro qua reperiuntur etiam Lares vel Lar: In Ruf. I, 191; In Eutr. II, 63, 513; Cons. Stil. I, 118; II, 120; VI cons. Hon. 603; Bell. Poll. 620; Epist. ad Gennad. 8; Laus Ser. 39. Porro Clarii Lares leguntur pro Apollinis templo lucoque Clario: Rapt. Pros. I, 136; Lar Vulcani pro Vulcani officina in Lemno insula sita: Gigant. 86. Denique Lar vel Lares significant totam urbem atque illis quidem locis Roma urbs intellegenda est: Cons. Stil. III, 127; VI cons. Hon. 407. — Manes, qui quasi dei immortales ab antiquis colebantur, ponuntur pro corporibus mortuorum: Prob. et Olybr. cons. 112; In Ruf. II, 449; Bell. Gild. 403; Phoenix 72; Depr. ad Hadr. 13: „Manibus Hectoreis atrox ignovit Achilles“ i. e. corpus Hectoris interfecti circa Troiae moenia trahere Achilles Priamo rogante destitit. — Quibus accedat exemplum, quod, quamquam non ad deos spectat, hoc tamen loco est afferendum. Henna enim, Siciliae urbs, quam poeta parentem florum appellans[1]) loquentem inducit, insolenter exstat pro ipsis floribus: Rapt. Pros. II, 86: „Merear divino pollice carpi“. — Postremo nonnulla exempla commemorare mihi liceat, in quibus metonymia e fabula est prompta. Heliades, Phaethontis sorores, quae fratris mortem deflentes in populos quarumque lacrimae

[1]) Rapt. Pros. II, 72.

in electrum mutatae sunt, pro ipsis arboribus inveniuntur: VI cons. Hon. 163 sq.: „rami caput (sc. Eridani patris) umbravere virentes Heliadum totisque fluunt electra capillis". Eodem sensu usurpantur sorores: Epist. ad Ser. 11 sq.: „Fractaque nobilium ramis electra sororum Cycnus oloriferi vexit ab amne Padi". Enceladus gigas, Iovis fulmine interfectus et Aetna monte obrutus, sumitur pro Aetna: De piis fratr. 32; Rapt. Pros. III, 122 sq.: „gemitu flammisque propinquis Enceladi nequeunt umbracula nostra taceri" i. e. gemitu flammisque vicini Aetnae facile dei vel homines alliciuntur, ut Henna, quo Ceres Proserpinam filiam abdidit, non satis sit recondita.

Sequuntur exempla, in quibus adiectiva e regum reginarumque vel aliorum hominum nominibus derivata adhibentur pro adiectivis ex urbium terrarumque nominibus derivatis, quibus illi nomen dederunt vel quas regunt. Romuleae segetes dicuntur pro segetibus Romanis: Bell. Gild. 75; Romulei fasces pro fascibus Romanis: III cons. Hon. 1. Praeterea adiectivum Romuleus vel Romulus pro „Romanus" occurrit: IV cons. Hon. 619; Cons. Stil. II, 366; III, 124; VI cons. Hon. 57; Bell. Poll. 261, 332. Tellus Oenotria reperitur pro tellure Italica: Bell. Poll. 310, ab Oenotro, rege Sabinorum, sic dicta. Non aliter Inachia templa ponuntur pro templis Argivis: Prob. et Olybr. cons. 196, quia Inachus primus erat Argorum rex; Cecropiae matres, a Cecrope, primo Athenarum rege, sic nominatae, pro matribus Atheniensibus: In Ruf II, 191. Eodem sensu exstat hoc adiectivum: Cons. Manl. Theod. 67: „Omnia Cecropiae relegis secreta senectae" i. e. omnes libros antiquorum philosophorum Atheniensium arcana continentes retractas; Rapt. Pros. I, 11. Deinde Pandioniae phalanges inveniuntur pro phalangibus Atheniensibus: Bell. Gild. 406; Pandion enim erat priscus Athenarum rex; res Pandioniae pro rebus Atheniensibus: IV cons. Hon. 508; Pandioniae arces pro arcibus Atheniensibus: Rapt. Pros. II, 19. Tertio loco pro adiectivo „Atheniensis" usurpatur adiectivum Erechtheus, quia etiam Erechtheus antiquus Atheniensium rex erat: In Eutr. I, 291 sq.: „Thebas ac funera Troiae Tristis Erechthei deplorat scena theatri". — Aonius mons sumitur pro monte Boeotio i. e.

Cithaerone: In Ruf. II, 418; In Eutr. II, 522, ab Aone, Boeotio heroe, ita dictus; Aonii luci pro lucis Boeotiis atque quidem in Helicone monte sitis: Cons. Manl. Theod. 271. Item pro muris Thebanis adhibentur Aonii muri: Cons. Stil. II, 171. Pro palaestra Thebana dicitur Amphionia palaestra: IV cons. Hon. 532; Thebarum enim muri Amphionis cantu conditi dicebantur. Denique Dircaea tela occurrunt pro telis Thebanis: IV cons. Hon. 533, quia Dirce Thebarum regina erat; Dircaea arva pro arvis Thebanis: Cons. Stil. I, 320. — Porro Dardanium solum legitur pro solo Troiano: Apon. 68; Dardanus enim auctor erat gentis Troianae; Arsacius fastus pro fastu Parthico: In Eutr. I, 415, ab Arsace, Parthorum prisco rege, sic vocatus; Semiramiae turres pro turribus Babylonicis: Prob. et Olybr. cons. 162, quia Semiramis regina erat Babylonis. Quibus cum exemplis non multum discrepare mihi videtur: Cons. Manl. Theod. 289 sq.: „Cuncta Palaemoniis manus explorata coronis Adsit" i. e. omnes, qui in ludis Isthmicis victorias reportaverunt. Ludi enim Isthmici in Palaemonis, maris dei, honorem erant instituti.[1])

Late apud hunc poetam ea patet metonymiae forma, qua populi pro terris, quas incolunt, appellantur. Quo ex genere sunt haec: Bell. Gild. 510: „quae pars vicinior Afris", ubi Africa est intellegenda; Cons. Manl. Theod. 196: „Ille vel Aethiopum pluviis solabitur aestus" i. e. Aethiopiae, pro qua item ponuntur incolae: Cons. Stil. I, 179 sq.: „Si deserta Noti, fontem si quaerere Nili, Aethiopum medios penetrassent vela vapores". Ceteri populi, qui pro terris exstant, sunt hi: Amazones: Fesc. I, 32; Bistonii: In Eutr. II, 565; Bithyni: In Eutr. I, 201; II, 239; Blemyes: Nil. 19; Britanni: In Ruf. II, 149; Bell. Poll. 416; Carmani: In Eutr. I, 354; Cilices: In Eutr. I, 220; Colchi: Bell. Poll. 3; Galatae: In Eutr. I, 203; II, 240, 467; Galli: Nupt. Hon. 119; VI cons. Hon. 232; Bell. Poll. 200; Geloni: In Eutr. II, 103; Hiberi: De sene Veron. 21; Indi: Bell. Poll. 58; De sene Veron. 17; Phoenix 2; Itali: Bell. Gild. 509; Ligures: Bell. Gild. 505; Lydi: In Eutr. II, 578; Numidae: Bell. Gild. 93; Parthi: IV cons. Hon. 317; Phryges: In Eutr. I, 205; Poeni: Bell. Gild. 509; Raeti:

[1]) Cf. Kœnigii ad hunc versum adnotationem.

VI cons. Hon. 232; Sabaei[1]): Rapt. Pros. II, 83; Thraces: In Ruf. I, 338; In Eutr. II, 412; Tusci: Cons. Stil. II, 273. Eadem significatione adiectiva e gentium nominibus derivata inveniuntur pro adiectivis e terrarum nominibus derivatis, quas incolunt. Huc spectat: Epist. ad Olybr. 15: „Candescet Geticis Meroe conversa pruinis" i. e. pruinis Thraciis; Rapt. Pros. II praef. 28: „Massylam cervi non timuere iubam" i. e. leonem Africum. Pari sensu usurpatur adiectivum Poenus: Rapt. Pros. III, 165sqq.: „attonitus stabulo ceu pastor inani, Cui pecus aut rabies Poenorum inopina leonum Aut populatrices infestavere catervae". Ipsa vox populi significat terras hisce locis: Fesc. IV, 36; VI cons. Hon. 288; Bell. Poll. 531; pro quibus sumuntur gentes: In Eutr. I, 202: „pretiis distinguit regula gentes" i. e. provincias Romanas; III cons. Hon. 68sqq.: „Iam princeps molitur iter gentesque remotas Colligit Aurorae, tumidus quascumque pererrat Euphrates, quas lustrat Halys, quas ditat Orontes".

Quam ad formam prope accedit ea, qua homines dicuntur pro loco, quo versantur. Sic occurrit curia pro aedificio, in quo senatus moratur: In Eutr. II, 74; pro Eumenidum thalamo: In Ruf. I, 39sq.: „Complentur vario ferrata sedilia coetu Torvaque collectis stipatur curia monstris". Quibus subiungere mihi liceat, quod umbrae reperiuntur pro locis inferis: Bell. Poll. 447.

Iam properemus ad exempla, in quibus homines ponuntur pro rebus, quas possident. Eiusmodi est: Bell. Gild. 84: „Scilicet ut domitis frueretur barbarus Afris", ubi Afri leguntur pro Afrorum opibus.

Exemplo huius generis allato sunt adicienda ea, in quibus homines exstant pro libris, quos composuerunt. Ita Homerus invenitur pro carminibus Homeri: In Aleth. quaest. 13sq.: „Ipse parens vatum, princeps Heliconis, Homerus Iudicis

[1]) Apud Birtium hic versus ita legitur: „Quidquid ab extremis ales longaeva colonis Colligit". Codices hoc loco ita inter se discrepant, ut alii suppeditent „longaevus harenis", alii „longaeva colonis", cum Isengrinius praebeat „longaeva Sabaeis". Una cum Georgio Goetz (cf. Philol. Anz. VII [1875—76], p. 143) lectioni „longaeva Sabaeis" assentior, cum ex antecedentibus „Panchaia" et „Hydaspes" eluceat poetam etiam hoc loco certam terram appellavisse.

excepit tela severa notae" i. e. ipsa Homeri carmina, illustrissimi clarissimique poetae, sunt vituperata. Eadem tropi forma conspicitur: Cons. Manl. Theod. 253 sq.: „Qualem te legimus teneri primordia mundi Scribentem" i. e. librum legimus, quem confecisti. — Simili ratione homines sumuntur pro cantu, ut Quiris: Fesc. II, 16 sq.: „Epulisque iam repleto Resonet Quirite Thybris". Porro pro cantu appellantur Sirenes: Rapt. Pros. III, 205; vates: Bell. Poll. praef. 4. Idem habemus: In Eutr. II, 257 sq.: „Hic et Apollinea victus testudine pastor Suspensa memores inlustrat pelle Celaenas" i. e. pastor, cuius cantus Apollinis cantu victus est; Cons. Manl. Theod. praef. 9 sq.: „mundique per aures Ibimus" i. e. carmen meum (scil. Claudiani) ab illustrissimis mundi viris audietur; Rapt. Pros. II praef. 17: „Vix auditus erat (scil. Orpheus)" i. e. Vix eius (scil. Orphei) cantus auditus erat.

Perpauca tantum exempla occurrunt eius speciei, qua dei pro templis adhibentur, qua de re conferas: Cons. Stil. II, 287: „Et Ianum pax alta ligat". Consentio cum Koenigio hoc loco Iani templum esse intellegendum. Quam sententiam rectam esse confirmatur loco, qui legitur: VI cons. Hon. 637 sq.: „perpetuisque inmoto cardine claustris Ianus bella premens". Minus mihi Gesneri interpretatio arridet, qui fortasse nixus Hor. epist. II, 1, 255[1]): „claustraque custodem pacis cohibentia Ianum" ipsum deum a Pace templo suo includi vult, cum nimis artificiosa sit haec explicatio. Huc etiam refero: Bell. Gild. 129: „Flet Mavors sanctaeque memor Tritonia Vestae" i. e. Palladii, Palladis simulacri, quod in Vestae templo servabatur.

Dei et homines pro statuis reperiuntur hisce locis: VI cons. Hon. 597 sqq.: „Affuit ipsa suis ales Victoria templis Romanae tutela togae: quae divite penna Patricii reverenda fovet sacraria coetus", ubi aureum Victoriae signum declaratur, quod Hiero, Syracusarum rex, Romanis post cladem ad Trasumenum lacum acceptam dono dedit[2]); Magn. 31 sq.: „Cytherea maritum Sponte rapit" i. e. Veneris statua magnete expressa statuam mariti (i. e. hoc loco Martis) ferro exstructam sponte trahit. Pro signis his materiis expressis exstant dei: Magn. 38;

---

[1]) Qua de re conferas Koenigii adnotationem.

[2]) Cf. Barthii et Gesneri adnot.

numina: Magn. 39, quae item pro deorum simulacris ponuntur: IV cons. Hon. 570 sq.: „Sic numina Memphis In Vulgus proferre solet". Hominum statuas designant fratres: De piis fratr. 1; parentes: De piis fratr. 5; eunuchi vultus: In Eutr. II, 74; os: In Eutr. II, 76. — Sub eandem rationem cadunt exempla, in quibus dei vel homines inveniuntur pro imaginibus. Quo ex genere est: VI cons. Hon. 44 sq.: „Iuvat infra tecta Tonantis Cernere Tarpeia pendentes rupe Gigantas", ubi magnificum Gigantomachiae argumentum in parte rupis Tarpeiae, forte ex ipsa rupe excisum, est intellegendum.[1]) Addo: Nupt. Hon. 106 sqq.: „Speculi nec vultus (sc. Veneris) egebat Iudicio; similis tecto monstratur in omni Et rapitur, quocumque videt" i. e. imago Veneris ostenditur in omni tecto et conspicitur, quocumque oculos flectit.

Ceterum etiam ea forma hic est tractanda, qua dei vel homines pro nominibus leguntur. Hinc sunt illa: Nupt. Hon. praef. 22: „Reginam resonant Othrys et Ossa Thetim" i. e. resonant Othrys et Ossa nomen Thetidis reginae; Cons. Stil. II, 451 sq.: „Quorum (sc. rutilorum annorum) praecipuum pretioso corpore Titan Signandum Stilichone legit" i. e. cui Stilicho consul nomen det; Cons. Stil. II, 475 sq.: „Inque novos iterum revoluto cardine cursus Scribunt aethereis Stilichonem sidera fastis" i. e. ‚siderum constellationes futuros consulatus Stilichoni portendunt'; VI cons. Hon. 616 sq.: „unaque totis Intonat Augustum septenis arcibus Echo!" i. e. intonat nomen Augusti. Eodem sensu sumitur Palladius: Epith. Pall. et Cel. 25; consul: Cons. Manl. Theod. 271. Porro vide: In Eutr. I, 478 sq.: „Inter Arinthaei fastos et nomen erile Servus erit" i. e. Inter fastos consulares, in quibus nomen Arinthaei eri exstat, etiam nomen servi (i. e. Eutropii) invenietur; In Eutr. I, 33 sq.: „quot ille Mutavit tabulas" i. e. quot illius (i. e. Eutropii) nomen indices mutavit servorum; Bell. Poll. praef. 14: „Quod legimur medio conspicimurque foro" i. e. quod nomen meum (i. e. Claudiani) in statua medio in foro Traiano exstructa legitur conspiciturque.

Priusquam huius paragraphi finem facio, nonnullos mihi liceat annectere locos metonymiae, quae dicitur attributiva.

---

[1]) Cf. Gesneri ad hunc versum adnotationem.

Quod huius tropi genus in eo consistit, ut adiectiva, quae rebus proprie sunt attribuenda, cum deis hominibusve coniungantur et adiectiva ad res transferantur, quae personis proprie conveniunt. Hic mihi est disserendum de priore forma modo commemorata atque de iis quidem exemplis, in quibus adiectiva cum deis hominibusve copulata occurrunt, quae iis rebus sunt propria, quas illi administrant vel possident vel effecerunt, quorum repperi haec: IV cons. Hon. 426 sq.: „quo saucia vento Decolor iratos attollat Cynthia vultus"; VI cons. Hon. 84 sq.: „Divitis Aurorae solium sortemque paratam Sponte remittebas fratri"; De cryst. V, 3 sqq.: „Nonne vides, propriis ut spumet gemma lacunis . . . Udaque pingatur radiis obstantibus Iris"; Rapt. Pros. I, 137 sq.: „Despexit utrumque Flava Ceres"; Rapt. Pros. II, 352 sq.: „hederisque virentem Cocyton dulci perhibent undasse Lyaeo"; Rapt. Pros. III, 16 sq.: Liquidis incumbunt patribus udae Naides"; Nil. 20: „Hunc (sc. Nilum) bibit infrenis Garamas"; Rapt. Pros. II praef. 11: „Diraqûe sanguinei vertit (sc. Alcides) praesepia regis".

§ 2. Venimus nunc ad id genus, quo dei vel homines nominantur pro rebus, quae a sensibus sunt sevocatae. Exeat autem disputatio iterum ab iis exemplis, in quibus dei adhibentur pro rebus, quas administrant reguntque vel quas hominibus praebent. Qua significatione legitur ipsa vox deus: Gigant. 107 sq.: „Meruit (sc. Echion) sublata audacia poenas Et didicit cum morte deam" i. e. cum morte potentiam maiestatemque deae cognovit; Rapt. Pros. III, 417: Qua (sc. Proserpina) gessi florente deam", ubi dignitas felicitasque deae designatur. — Ut ceteri poetae et solutae orationis scriptores ita etiam Claudianus Martem appellat pro bello vel pugna: In Ruf. II, 56, 188, 351, 501; Bell. Gild. 85, 273, 415; In Eutr. II, 567; Fesc. III, 4; III cons. Hon. 73; IV cons. Hon. 90, 321, 456, 488; Cons. Stil. I, 16, 190, 336; II, 15; III, 35; VI cons. Hon. 91, 210, 283, 307, 624; Bell. Poll. 280, 507, 623; pro virtute belli: Cons. Manl. Theod. 163; pro bello administrando: Laus Ser. 197 sqq.: „quamvis annis et iure minori Cedere grandaevos equitum peditumque magistros Aspiceres

totumque palam permittere Martem." Eodem sensu occurrit adiectivum hoc e nomine repetitum: In Eutr. I, 505 sq.: „Quid Martia signa Sollicitas?" i. e. Quid arma moves?; IV cons. Hon. 539: „Cum vectaris equo simulacraque Martia ludis", ubi exercitia bellica dicuntur; Cons. Stil. II, 349; III praef. 20; Rapt. Pros. II, 147. Neque aliter adiectivum Mavortius adhibetur: Nupt. Hon. 187; III cons. Hon. 135; Bell. Poll. 34 sq.: „quos (Getas) tantis aluit Bellona trophaeis Totaque sub galeis Mavortia canuit aetas" i. e. qui totam vitam bello gerendo egerunt. Quae interpretatio me quidem iudice verbis sensuique magis respondet, quam Gesneri: ‚(Tota aetas) peritiam et prudentiam ab usu collectam habuit, ut adulescentes quoque veterani esse viderentur'; Epith. Pall. et Cel. 70 sq.: „Mavortia matris Nobilitas spoliis armisque exultat avitis" i. e. mater nobilis, e gente bellicosa Getarum orta, victoriis fulget, quas maiores reportaverunt; De chlamyde 12. Pro spiritu poetico Phoebi et Paeanis legitur Phoebus: Prob. et Olybr. cons. 56; Rapt. Pros. I, 6; Paean: Bell. Poll. 598. Adiectivum Paeonius ponitur pro adiectivo „medicus", quia Paeonem i. e. Apollinem medicinae inventorem fuisse antiqui existimabant: In Eutr. II, 11 sq.: „Veteri post obruta morbo Corpora Paeonias nequiquam admoveris herbas"; Bell. Poll. 120 sq.: „proxima cordi Ulcera Paeoniae tractat sollertia curae"; Apon. 67: „Salve Paeoniae largitor nobilis undae". Musae adhibentur pro arte poetica: VI cons. Hon. praef. 11; pro litteris: IV cons. Hon. 396: „Interea Musis animus, dum mollior, instet" i. e. in litteris versetur; Cons. Manl. Theod. 66; In Curet. II, 4: „Quod procul a Musis, debilis Arcas erat" i. e. imperitia tua litterarum Mercurii stellae nascentis debilitate efficitur; Mercurii enim sidus litterarum eloquentiaeque praeses putabatur, ut Barthius recte adnotat. His accedat exemplis, quod adiectivum Pierius idem valet ac „musicus" — Pieriae enim deae erant musicae artis — ut: Prob. et Olybr. cons. 150 sq.: „Pieriis pollent studiis multoque redundant Eloquio" i. e. studiis carminum componendorum pollent; In Ruf. II praef. 20; VI cons. Hon. 123; Laus Ser. 1 sq.: Dic, mea Calliope, tanto cur tempore differs Pierio meritam serto redimire Serenam?" i. e. carmine; Laus Ser. 146. Pro amore usurpatur Cupido: De paup. am. 1; Venus: Bell.

Gild. 182; Fesc. IV, 12; Nupt. Hon. 65; Rapt. Pros. I, 226; quae invenitur pro amplexu Venereo: In Ruf. II, 486; Bell. Gild. 450; In Eutr. I, 345, 468; IV cons. Hon. 264 sq.: „Tum vivere caste Asperius, cum prompta Venus" i. e. cum facultatem habeas amplexus Venerei exercendi. Hymen exstat pro ipsis nuptiis: Nupt. Hon. 312; Minerva pro texendi arte Minervae: Cons. Stil. II, 340; Aurora pro die: Rapt. Pros. II, 46. Circaeae herbae occurrunt pro herbis magicis: Bell. Poll. 441. Vitae condicionem designant Lares: Nupt. Hon. 257; Penates: III cons. Hon. 13 sq.: „Ardua privatos nescit Fortuna Penates Et regnum cum luce dedit". — Ut ad homines transgrediar, consul ponitur pro temporis spatio, per quod consulis munere fungitur i. e. pro anno: VI cons. Hon. 390 sq.: „Spectatosque iterum nulli celebrantia ludos Circumflexa rapit centenus saecula consul", quem versum recte explicat Gesnerus: ‚annus centesimus rapit ac celeriter adducit saeculum, intervallum, quo alias ludi saeculares solebant celebrari'.

Iam provehamur ad eam formam, qua dei vel homines appellantur pro virtutibus et vitiis, quibus excellunt. Huc spectat: Rapt. Pros. III, 104: „Quodsi non omnem pepulisti pectore matrem" i. e. amorem matris; In Eutr. I, 441 sq.: „Natos hoc dedere poenae Profuit et misero civem praeponere patri?" i. e. profuit civis officium praeponere patris caritati? Bell. Poll. 301: „Vestros stimulant si pignora sensus", ubi pignora exstant pro amore liberorum; Cons. Manl. Theod. praef. 6: „Totaque iam vatis pectora miles habet?" i. e. totum poetae animum audacia militaris implet? Bell. Gild. 397 sq.: „Naturamque simul fratremque hominemque cruentus exuit (sc. Gildo)" i. e. naturam et fratris et hominis, omnem humanitatem, Gildo exuit; IV cons. Hon. 261 sq.: „Tunc omnia iure tenebis, Cum poteris rex esse tui" i. e. vitiorum tuorum.

Quibus addentur plus minusve huc spectantia exempla, quae sequuntur: IV cons. Hon. 302: „Mobile mutatur semper cum principe vulgus" i. e. cum moribus principis semper mutantur mores vulgi; In Ruf. II praef. 19 sq.: „Oblitusque (sc. Mavors) sui posita clementior hasta Pieriis aures pacificare modis" i. e. oblitus consuetudinis suae, quae eo consistit, ut semper in armis furat atque belligeret; In Eutr. I, 442: „misero

civem praeponere patri“, ubi officium civis declaratur; Depr. ad Hadr. 43: „Me, precor, heu, me redde mihi“ i. e. redde mihi condicionem, quae mihi antea erat; IV cons. Hon. 169sq.: „Mutatus principe Caesar Protinus aequaris fratri“ i. e. dignitate principis Caesaris dignitate mutata protinus fratri aequaris; Cons. Stil. II, 317sq.: „titulo tunc crescere posses, Nunc per te titulus“ i. e. tunc munere consulis fungendo auctoritas tua augeri posset; VI cons. Hon. 318, ubi Stilicho invenitur pro laude Stilichonis; Prob. et Olybr. cons. 34: „Illum (sc. Probum) fama vehit trans aequora“ i. e. gloriam illius fama trans maria fert; VI cons. Hon. 102sq.: „quam laetus ab aethere cernit (sc. parens) Se factis crevisse tuis“ i. e. gloriam suam rebus abs te gestis esse auctam; Bell. Poll. 440sq.: „Et iuvenem spretae laniatum fraude novercae Non sine Circaeis Latonia reddidit herbis“ i. e. vitam iuvenis reddidit; Bell. Poll. 444sq.: „Quem (sc. Minoum puerum) senior vates avium clangore repertum Gramine restituit“ i. e. cuius vitam senior vates gramine restituit; In Eutr. I, 21: „Consule lustrandi fasces“, ubi mors consulis significatur; Bell. Gild. 331sq.: „Iterum post me coniurat in arma Progenies vesana Iubae“ i. e. post mortem meam; In Eutr. I, 469sq.: „Mixta duplex aetas; inter puerumque senemque Nil medium“ i. e. inter annos pueriles senilesque nihil interest; IV cons. Hon. 385sq.: „Sed proelia differ In iuvenem“ i. e. in aetatem iuvenilem; Cons. Stil. I, 39sq.: „mens ardua semper A puero“ i. e. a pueritia; In Ruf. I, 277, ubi magister usurpatur pro arte magistri; In Eutr. II, 341: „Saltandi dociles (sc. senatus imperii orientalis), aurigarumque periti“. Qui versus optimis codicibus sic traditus, quomodo sit intellegendus, viri docti inter se dissentiunt. Barthius haec verba explicat ita: ‚gnari et intellegentes, quis auriga, cuius factionis, quo alterius sit praestantior‘; Claverius[1]) autem „aurigarumque periti“ idem valere arbitratur ac „aurigandi periti“. Equidem Claverii interpretationem sequor aurigas sumi pro aurigarum arte. Quam rectam esse mea quidem sententia verbis antecedentibus „saltandi dociles“ satis confirmatur, cum Barthii explicatio minus ad sensum apta esse mihi videatur. Pro similitudine legitur pater: Cons. Stil. II, 348; Descr. arm. 12; parens:

[1]) Vide Koenigium ad hunc locum.

De piis fratr. 24; frater et soror: IV cons. Hon. 208; frater: Rapt. Pros. II, 27sq.: „At Triviae lenis species et multus in ore Frater erat" i. e. vultus Dianae magnam habebant Apollinis fratris similitudinem; Epist. ad Olybr. 3sq.: „Sed quae tam prona facultas, Carmina seu fundis seu Cicerone tonas?" i. e. seu vi atque gravitate tonas, quae Ciceroni inerat; Bell. Gild. 401: „infandas excusat (sc. Atreus) coniuge mensas" i. e. nefarias epulas e filiorum Thyestae fratris membris instructas excusat Atreus scelere, quod in coniuge sua commissum est; VI cons. Hon. praef. 17: „Enceladus mihi carmen erat victusque Typhoeus" i. e. sortem Enceladi[1]) victique Typhoei cecini; Cons. Stil. II, 74sqq.: „Hinc fuit, ut primos in coniuge disceret ignes Ordirique virum non luxuriante iuventa . . . vellet" i. e. amplexum Venereum non luxuriante iuventa incipere vellet; Rapt. Pros. II, 4sqq.: „fidaeque oblita parentis Fraude Dionaea riguos Proserpina saltus . . . . petit", ubi praecepta fidae matris spectantur.

Exemplis modo allatis ad eam pervenimus metonymiae formam, qua homines occurrunt pro iis, quae gesserunt, ut: IV cons. Hon. 399: „antiquos evolve duces" i. e. lege res gestas ducum priscorum in annalibus exstantes. Pari sensu reperitur Brutus: IV cons. Hon. 401; Cocles: IV cons. Hon. 406; Fabius: Cons. Stil. I, 382; Scipiadae et Regulus: Cons. Stil. I, 381; Stilicho: Cons. Stil. III, 283. Eodem redit: VI cons. Hon. 477sqq.: „Ecce virum, taciti nulla qui fraude soporis Ense palam sibi pandit iter remeatque cruentus Et Diomedeis tantum praeclarior ausis, Quantum lux tenebris" i. e. cuius res gesta tantum praeclarior est Diomedeis ausis, quantum lux tenebris; Cons. Manl. Theod. 334sq.: „duplici vita subnixus in aevum Procedat (sc. Manl. Theod.) pariter libris fastisque legendus, ubi item res gestae tractantur.

Semel atque iterum populi aut homines singuli substituuntur pro pugna cum iis committenda vel commissa aut victoria de iis reportata. Qua de re conferas: Bell. Gild. 106sq.: „mallem tolerare Sabinos Et Veios" i. e. pugnam cum Sabinis Veientibusque committendam; Bell. Poll.

---

[1]) Cf. p. 11 huius dissertationis.

142 sq.: „Unus in hoc Stilicho diversis artibus hoste Tris potuit complere duces“ i. e. in proelio cum hoc hoste commisso; Cons. Stil. III, 34 sq.: „Nec similis Latias patefecit gloria portas Post Numidas Mario“ i. e. post victoriam de Numidis reportatam. Non aliter legitur Poenus: In Eutr. I, 455; Tigranes: Cons. Stil. I, 370; Pyrrhus: Cons. Stil. I, 371; Perses: Cons. Stil. I, 372.

Singulare attributivae metonymiae exemplum exstat: Bell. Poll. 507: „Hanc urbem insano nullus qui Marte petivit“.

§ 3. Age vero, ut ad aliud accedam metonymiae genus: dei vel homines rebus significantur, quae sensibus percipiuntur. Initium capio a nonnullis exemplis, quae ad deos spectant. Ita pro deis invenitur aether: VI cons. Hon. 352; Rapt. Pros. III, 201: „Phlegra nobis infensior aether“ i. e. magis nobis dei irascuntur quam Gigantes, qui a deis Phlegrae victi sunt. Similiter reperitur Phlegra: Rapt. Pros. II, 255 sq.: „Non ego, cum rapido saeviret Phlegra tumultu, Signa deis adversa tuli“, ubi dei Gigantesque spectantur. Praeterea deorum significationem recipit polus: IV cons. Hon. 535; Olympus: VI cons. Hon. 351; Bell. Poll. 511; arae: In Eutr. I, 20. Aonii luci denotant Musas: Cons. Manl. Theod. 271; pro quibus adhibetur Helicon: Cons. Manl. Theod. 272. Fluvii ponuntur pro fluviorum deis: Prob. et Olybr. cons. 253 sq.: „Currat, qui sociae roget in convivia mensae Indigenas fluvios“; Laus Ser. 171 sq.: „Herculeas vidit fluvio luctante palaestras Moenibus ex altis Calydon“, ubi Achelous deus intellegitur. Eodem sensu exstant amnes vel amnis: Cons. Stil. III, 24; VI cons. Hon. 193; Laus Ser. 177; aequor et pontus: Nupt. Hon. 176 sq.: „Devotum sentiat aequor, Agnoscat famulum virgo Stilichonia pontum“ i. e. maris deos deasque. Quibus addo: Rapt. Pros. I, 114, ubi Tartara usurpantur pro Titanibus et monstris inferis; Rapt. Pros. II, 12 sq.: „It Venus et raptus metitur corde futuros, Iam dirum flexura Chaos“ i. e. eos, qui in Chao versantur, inferos, qui designantur verbis ultima regna: Rapt. Pros. I, 224.

Atque inter omnes metonymiae formas apud Claudianum ea obtinet primum locum, qua terrae vel insulae vel urbes

sumuntur pro incolis. Cum autem saepius fiat, ut urbs per synecdocham adhibeatur pro tota terra, mihi liceat urbium nomina una cum iis terrarum et insularum proferre, quas poeta pro incolis nominat. Quae sunt haec: Aegyptus: In Ruf. I, 148; Africa: Prob. et Olybr. cons. 60; Cons. Stil. I, 19; III, 105; Alamannia: IV cons. Hon. 449; Cons. Stil. I, 234; Amyclae: Bell. Poll. 193; Asia: In Ruf. II, 36; Athenae: Bell. Gild. 405; Cons. Stil. III, 162; Ausonia: Bell. Poll. 291: „Haec (sc. Ausonia) Senonum restinxit sanguine flammas“ i. e. Romani; Babylon: In Eutr. II, 475; Bactra: III cons. Hon. 202; IV cons. Hon. 656; Britannia: IV cons. Hon. 28 („Britannum litus“); Cons. Manl. Theod. 51; Carthago: Bell. Gild. 77, 518; Cons. Stil. I, 383; III praef. 15; Creta: In Eutr. I, 218: „. . . iacuit vel Creta Metello“, ubi praedones maritimi, qui in Creta insula consederant, declarantur. Quod Koenigius huc etiam refert „Cydon“: IV cons. Hon. 530 sq.: „Scis, quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas Armenius“, cum adnotat ‚Cydon, Cretae urbs pro: Cretenses‘, falsum est. Neque enim est Cydon Cretae urbs, sed incola urbis Cydoniae in Creta insula sitae. — Eodem modo ponitur Eleusis: Rapt. Pros. I, 11: „sanctasque faces extollit Eleusis“ i. e. populus Atheniensium, qui quotannis Eleusinem se contulit ibique sacra Eleusinia in Cereris honorem instituta celebrabat faces iactando, quia Ceres Proserpinam filiam a Plutone raptam accensis facibus quaesiverat. Durum hoc; sed multo durius dicitur Etruria: In Eutr. I, 12: „Fulmineos sollers Etruria consulat ignes“ i. e. haruspices Romani, qui artem e fulguribus praedicendi ab Etruscis didicerant. Praeterea occurrit Etruria: In Eutr. I, 443 sq.: „Hoc mihi Ianiculo positis Etruria castris Quaesiit“ i. e. exercitus Porsennae, Etruscorum regis. Deinde legitur pro incolis Francia: Cons. Stil. I, 237; Gallia: In Ruf. II, 147; IV cons. Hon. 392; Cons. Manl. Theod. praef. 8; Cons. Stil. I, 317; III, 53; Germania: Bell. Gild. 372; III cons. Hon. 18; Cons. Stil. I, 192; II. 286; Graecia: Bell. Gild. 484; In Eutr. II, 246; Hiberia: Cons. Stil. I. 19; Iverne: Cons. Stil. II, 251; Italia: In Ruf. II, 154; Bell. Gild. 88; Cons. Stil. II, 304; Bell. Poll. 403; Lacedaemon: IV cons. Hon. 508; Latium: Bell. Gild. 335; Cons. Stil. I, 18; III, 92; VI cons. Hon. 351; Libya: In Ruf. II, 154; III cons. Hon. 53 („litus

Libyae"); Lydia: In Eutr. II, 295; Fesc. I, 9; IV cons. Hon. 603; Maeotica terra: VI cons. Hon. 338; Memphis: Cons. Manl. Theod. 127; Meroe: Nupt. Hon. 223; III cons. Hon. 21; Nysa: IV cons. Hon. 604; Parthia: Bell. Gild. 38; Nupt. Hon. 225; Persis: III cons. Hon. 204; Pharos: In Eutr. I, 218; Roma: In Eutr. I, 215; III cons. Hon. praef. 15 sq.: „Me ... Audet magna suo mittere Roma deo" i. e. senatus Romanorum, qui Claudiano mandaverat, ut Honorio imperatori gratularetur; IV cons. Hon. 361; Cons. Manl. Theod. 269; Cons. Stil. I, 309, 385; III, 2, 51; Bell. Poll. 450; Laus Ser. 58; Scythia: In Ruf. I, 308; Bell. Poll. 602; Sygambria: In Eutr. I, 383; Tarentum: Cons. Manl. Theod. 158; Thebae: Cons. Stil. III, 163; Thyle: III cons. Hon. 53; Bell. Poll. 204; Veii: Bell. Gild. 107. Porro substituuntur res Pandioniae pro Atheniensibus: IV cons. Hon. 508; Semiramiae turres pro Babyloniis: Probr. et Olybr. cons. 162; Romanae arces pro Romanis: Cons. Stil. III, 30. — Pari ratione legitur mundus: In Ruf. I, 87; Bell. Gild. 237; III cons. Hon. 64; IV cons. Hon. 19, 642; Cons. Manl. Theod. praef. 9 sq.: „mundique per aures Ibimus" i. e. illustrissimorum mundi virorum; Cons. Stil. I, 89; II, 336; III, 52; VI cons. Hon. 437; Bell. Poll. 573; orbis: In Ruf. II, 406; Bell. Gild. 96, 430; In Eutr. I, 7; II, 94, 224; IV cons. Hon. 88, 228, 299, 634; Cons. Stil. I, 150; II, 234; VI cons. Hon. 121; Bell. Poll. 565; Rapt. Pros. III, 46; axis: IV cons. Hon. 395; terrae: Bell. Gild. 47; IV cons. Hon. 215; Cons. Manl. Theod. praef. 9: „Omnibus audimur terris" i. e. a praeclarissimis nobilissimisque omnium terrarum viris; Cons. Manl. Theod. 34; Cons. Stil. II, 218; III, 104; tellus: IV cons. Hon. 270; De salvat. 19; solum: Depr. ad Hadr. 56; regio: Cons. Stil. II, 178 sq.: „quis devius esset Angulus aut regio quae non pro numine vultus Dilectos coleret" i. e. cuius incolae dilectum Stilichonem non ut deum venerarentur; Rapt. Pros. II, 326; Oriens: In Eutr. I, 396; Fesc. II, 36; Cons. Stil. I. 8, 277; occidens: Fesc. II, 37; regna vel regnum: Bell. Gild. 218; Bell. Poll. 67, 517; barbaries: Bell. Gild. 432: „barbariem quamvis collegerit omnem"; In Eutr. I, 323; IV cons. Hon. 49; Cons. Manl. Theod. 250; Cons. Stil. I, 148; VI cons. Hon. 222; Bell. Poll. 102, 638; patria: IV cons. Hon. 319 VI cons. Hon. 118, 430; Laus Ser. 155; provincia: Bell. Gild. 280;

Cons. Stil. I, 236; urbes vel urbs: In Ruf. I, 303; Bell. Gild. 47; In Eutr. II praef. 47; Fesc. II, 38; Cons. Manl. Theod. 151; Cons. Stil. I, 279; III, 95, 219, 284; VI cons. Hon. 357; Bell. Poll. 392, 600; Apon. 1; Phoenix 90; Rapt. Pros. I, 236; oppida: Bell. Poll. 539; muri: In Eutr. II, 570; castra: Probr. et Olybr. cons. 137; Nupt. Hon. 194; IV cons. Hon. 368, 502; Cons. Stil. I, 169, 365; VI cons. Hon. 9, 98; Bell. Poll. 236, 559; Laus Ser. 61; Martius campus: In Eutr. I, 438, ubi populus Romanus significatur, qui in campum Martium convenerat; area: VI cons. Hon. 621. Adiungo: Cons. Stil. I, 215 sq.: „Omne, quod Oceanum fontesque interiacet Histri, Unius incursu tremuit“ i. e. incolae huius terrae. — Huc item haec referuntur: Cons. Stil. I, 216 sq.: „sine caede subactus Servitio Boreas exarmatique Triones“ i. e. populi regionem septemtrionalem habitantes, pro quibus ponitur Arctos: Cons. Stil. I, 246; VI cons. Hon. 336; Boreas: Cons. Stil. II, 285; cum pro gentibus, quae terras ad meridiem sitas incolunt, inveniatur Auster: Cons. Stil. I, 269. — Non solum autem populi terris, insulis, urbibus aliisque supra commemoratis designantur, sed etiam montibus. Legimus enim: Nupt. Hon. 18: „quos (sc. crines Achillis) horruit Ide“, quo loco Ide, vicinus Troiae mons, exstat pro Troianis. Aeque Helicon usurpatur pro poetis: In Aleth. quaest. 13. Quibus adicere mihi liceat: Cons. Stil. II, 404 sq.: „Ad caelum quotiens vallis tibi Murcia ducet Nomen“ i. e. spectatores, qui in circo maximo, in valle Murcia sito, versantur. — Denique non raro maria et fluvii sumuntur pro populis accolentibus: Cons. Stil. III praef. 7 sq.: „Ergo seu . . . ultor Subderet Hispanum legibus Oceanum“ i. e. Hispanos. Hic exemplum est inserendum, quamquam minus huc pertinet: VI cons. Hon. 132 sq.: „Qualis piratica puppis, Quae cunctis infensa fretis . . . incidit“ i. e. omnibus nautis, qui per maria vehuntur. Quod attinet ad fluvios, Thybris dicitur pro Romanis: In Eutr. I, 436; VI cons. Hon. 425, 641. Pro Gallis substituitur Arar: Cons. Manl. Theod. 53; Rhodanus: Cons. Manl. Theod. 53; pro Hispanis Hiberus: Cons. Manl. Theod. 53; pro Germanis Albis: Nupt. Hon. 278; Rhenus: Probr. et Olybr. cons. 161; Bell. Gild. 312, 374; Nupt. Hon. 278; IV cons. Hon. 440, 457; Cons. Stil. I, 20, 196; II, 246; III, 13; Epith. Pall. et Cel. 91; De chlamyde 13. Eurotas

occurrit pro Lacedaemoniis: Cons. Stil. I, 181; Nilus pro Isidis sacerdotibus: In Eutr. II praef. 39: „Iam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus“; Halys pro Phrygibus: In Eutr. I, 434; Hebrus[1]) pro Thracibus: In Eutr. I, 504; Hister pro Getis: In Ruf. I, 308; Bell. Gild. 312; Nupt. Hon. 277; III cons. Hon. 25; Cons. Stil. III, 13; VI cons. Hon. 220. Gesnerus etiam Danuvium: Bell. Poll. 522 sq.: „numquam haec opprobria linguae Turbia Danuvius me sospite ferret inultus“ pro Getis accolentibus poni opinatur, non recte, ut puto. Multo enim melius interpretatio Barthii Birtiique ad sensum quadrare mihi videtur, qui Danuvium hoc loco quasi pro genio gentis Gothicae adhiberi censent. — Pro Scythis reperitur Tanais: Bell. Poll. 603; Hypanis: VI cons. Hon. 337; Araxes: Prob. et Olybr. cons. 160; qui legitur pro Parthis: IV cons. Hon. 387. Orontes exstat pro Syriis: In Eutr. I, 434; Euphrates pro Armeniis, Mesopotamenis, Assyriis: IV cons. Hon. 388; VI cons. Hon. 415; pro quibus et Tigris invenitur: IV cons. Hon. 316; VI cons. Hon. 415. Pro Indis usurpatur Ganges: In Ruf. I, 293; Hydaspes: Prob. et Olybr. cons. 80; Cons. Manl. Theod. 29. — Simili modo, quo populi, etiam singuli dei vel homines significantur, cuius modi sunt: Laus Ser. 147 sq.: „quos Smyrna dedit, quos Mantua libros Percurrens (sc. Serena)“ i. e. carmina legens, quae Homerus et Vergilius composuerunt, quorum alter, ut nonnulli tradunt, Smyrnae, alter Andibus apud Mantuam sitis natus est; Rapt. Pros. II praef. 9: „Sed postquam Inachiis Alcides missus ab Argis“ i. e. ab Eurystheo, qui Herculem duodecim labores perficere iussit; Laus Ser. 171 sq.: „Herculeas vidit fluvio luctante palaestras Moenibus ex altis Calydon“ i. e. Oeneus, rex Calydonis, de cuius filia Deianira Hercules cum Acheloo, fluvii deo, luctatus est; Bell. Gild. 286 sq.: „Ne consanguineis certetur comminus armis, Ne, precor. Haec trucibus Thebis, haec digna Mycenis,“ ubi Eteocles Polynicesque et Atreus Thyestesque sunt intellegendi; Cons. Stil. I, 370 sq.: „An quisquam Tigranem armaque Ponti . . . conferat“ i. e. victoriam de Mithradate, rege Ponti, reportatam. Pro Arcadio Rufinoque, eius ministro, sumitur Oriens: Cons. Stil.

[1]) Frustra Kochius lectionem „Eurus“ defendit Philologi tom. XLIX (1890) p. 567 sq.

I, 277; III, 81; In Ruf. II, 1: „Iam post edomitas Alpes“, quo loco Eugenius contionator, quem Theodosius apud Aquileiam, sub Alpium radicibus sitam, superaverat, demonstratur. Non aliter occurrunt: Bell. Poll. praef. 4: „Personat et noto Pythia vate domus“ i. e. templum Apollinis in Palatio monte exstructum; Rapt. Pros. III, 274 sq.: „En audet noti Cytherea pudoris Ostentare suos post Lemnia vincula vultus!“ i. e. vinculis, quae ei Vulcanus maritus iniecerat, solutis; Vulcanus enim in Lemno insula, in qua eius officinam esse antiqui putabant, praecipue colebatur; Fesc. IV, 1 sq.: „Attolleus thalamis Idalium iubar dilectus Veneri nascitur Hesperus“, ubi iubar Idalium appellatur, cum stella Veneri sacra sit; Rapt. Pros. II praef. 8: „Silvaque Bistoniam saepe secuta chelyn“ i. e. cantum Orphei Thracis; Laus Ser. 166 sq.: „Curru Pisaea marino Fugit praeda Pelops“ i. e. praeda Oenomai, regis Pisae; Pellaeum aurum substituitur pro auro Philippi, Macedonum regis: Bell. Gild. 269; Rapt. Pros. III, 52 sqq.: „currusque feratur Nubibus ignotas populis sparsurus aristas Et iuga caerulei subeant Actaea dracones“ i. e. iuga Triptolemi Eleusinii, cui Ceres currum frugibus onustum dedit, ut homines agrorum cultum doceret; Cons. Stil. III, 208: „Seu tibi Dictaeae placuerunt astra Coronae“ i. e. coronae Ariadnae, quae in Creta insula, ubi Dicta mons est situs, nata est.

Cum hac metonymiae specie propinquitatis quodam vinculo cohaeret id antonomasiae genus, quod a loco sumitur,[1]) cuius rei haec mihi liceat afferre exempla: Delius pro Apolline: In Ruf. II praef. 6; Rapt. Pros. II, 136; Lemnius pro Vulcano: Nupt. Hon. 87. Pro Mercurio legitur Arcas: III cons. Hon. 165; In Curet. II, 4; Cyllenius: Rapt. Pros. I, 77. Tritonia ponitur pro Minerva: Bell. Gild. 129; In Eutr. I, 324; II, 396; Cons. Stil. II, 332; III, 168; Rapt. Pros. II, 21; III, 286; Delia pro Diana: Cons. Stil. III, 261; Rapt. Pros. II, 206; III, 285; Parnasia pro Musa: Prob. et Olybr. cons. 71; Cytherea pro Venere: Bell. Gild. 128; Nupt. Hon. 122, 251; Cons. Stil. II, 439; Epith. Pall. et Cel. 31, 124; Rapt. Pros. I, 216; II, 119; III, 208, 274. Eodem sensu adiectivum hoc e nomine derivatum invenitur: Laus Ser. 119 sq.: „quarum Cythereia

---

[1]) Cf. Charisii Instit. Gramm. l. III (Keil, Grammatici Latini vol. I, p. 274).

necdum Sub iuga cervices niveas Hymenaeus adegit.“ Porro Lacones exstant pro Castore et Polluce fratribus: Bell. Gild. 222; IV cons. Hon. 206; Laus Ser. 108; De piis fratr. 37; Tirynthius pro Hercule: Rapt. Pros. II praef. 49; Ithacus pro Ulixe: VI cons. Hon. 471; Pellaeus pro Alexandro: IV cons. Hon. 374; Thessala pro Alcestide: Laus Ser. 13.

Eis, quae sequuntur, exemplis aedificia aut partes eorum usurpantur pro hominibus, qui in iis versantur. Quo sensu sumuntur pro Pythia tripodes: In Ruf. I praef. 12; cortina: Ad Aetern. 2. Regia adhibetur pro imperatoribus vel principe: In Eutr. I, 415; II praef. 35; II, 69; Cons. Stil. II, 61; pro imperatoris uxore: In Ruf. II, 97; aula pro imperatore: Bell. Gild. 237; In Eutr. I, 281, 487; IV cons. Hon. 2; Cons. Manl. Theod. 164, 257; Cons. Stil. I, 50; II, 207, 235; IV cons. Hon. 558; Bell. Poll. 567; pro familia imperatoria: Fesc. II, 22; III, 5 sq.: „Tractus ab aula rursus in aulam Redeat sanguis“; Nupt. Hon. 38; pro rege: Cons. Stil. III, 33; pro aulicis: In Eutr. I, 144; II, 462, 584; Cons. Manl. Theod. 33; Cons. Stil. I, 308; II, 86; VI cons. Hon. 596; Bell. Poll. 315, 454; Laus Ser. 160; domus pro gente: Prob. et Olybr. cons. 159; Bell. Gild. 345; IV cons. Hon. 20, 313; Cons. Manl. Theod. 338; Cons. Stil. II, 360; VI cons. Hon. 99; Epith. Pall. et Cel. 60, 92; Laus Ser. 47; pro iis, qui insunt: In Eutr. I, 144; Bell. Poll. 621; privata limina pro hominibus privatis: VI cons. Hon. 62. Thalamus occurrit pro familia: Nupt. Hon. 26; pro puella amata: Laus Ser. 164: „Empturos (sc. procos) thalamum dubii discrimine leti“; pro uxore: Bell. Gild. 166; In Eutr. I, 99, 130; pro qua et torus reperitur: In Eutr. I, 81. Cunabula leguntur pro infante: In Eutr. I, 44; palaestrae pro palaestritis: Cons. Manl. Theod. 288; harena pro gladiatoribus: Bell. Poll. 163; pro spectatoribus: Cons. Stil. III, 316. Praeterea pro spectatoribus ponuntur Pompeiana proscaenia: Cons. Stil. II, 403; cunei: In Ruf. II, 398; ergastula substituuntur pro servis: In Eutr. I, 28. Ab his non multum abhorret, quod pro nautis exstant carinae: Depr. ad Hadr. 56; puppis: VI cons. Hon. 133 sq.: „quae (sc. piratica puppis) cunctis infensa fretis . . . multasque diu populata carinas“, ubi praedones maritimi denotantur. Denique huc refero: IV cons. Hon. 96: „Has dedit inferias tumulis“ i. e. mortuis.

Quibus accedant ea exempla, quae tropum exhibent attributivum atque quidem ita, ut adiectiva, quae hominibus sunt propria, ab his transferantur ad locum, quo morantur. Qualia sunt haec: Prob. et Olybr. cons. 136 sq.: „Non me latet, inclite rector, Quod tua pro Latio victricia castra laborant“; 170: „glacieque niger damnabitur Indus“. Hoc in versu explicando viri docti inter se discrepant. Alii enim censent „niger Indus“ significare Indiae incolas, alii autem Indum flumen intellegendum esse putant. Quarum interpretationum posterior praeferenda esse mihi videtur, praesertim cum in versu antecedente Nilus flumen commemoretur. Huc accedit, quod poeta etiam aliis locis similiter verba „nigrans“ et „ater“ ab hominibus transfert ad terram, quam incolunt exempli causa: Nil. 16: „Aethiopum per mille ruit (sc. Nilus) nigrantia regna“ et: Nil. 18 sq.: „populisque salus sitientibus errat (sc. Nilus) Per Meroen Blemyasque feros atramque Syenen.“ — In Ruf. I praef. 14: „Ad Themidis coëunt antra severa dei“; I, 146 sqq.: „novi quo Thessala cantu Eripiat lunare iubar, quid signa sagacis Aegypti valeant“; II, 35: „Proterit imbellem sonipes hostilis Orontem“; 405 sq.: „quae (sc. manus) . . . . fessi poenam libaverit orbis“; Bell. Gild. 31 sqq.: „non ut . . . . . nostraeve premant pharetrata secures Susa“; 76 sq.: „Ideone tot annos Flebile cum tumida bellum Carthagine gessi?“; 83: „attonitae iam proximus Hannibal urbi?“; 87 sqq.: „Hoc mille gementis Italiae clades . . . . . agebat“; 111 sq.: „patriaeque petenti Rusticus inferret proprias dictator aristas“; 237: „mundus germanaque dissidet aula?“; 287: „Haec trucibus Thebis, haec digna Mycenis“; 326 sq.: „Hesperiam pervenit avus castumque cubile Ingreditur“; 484 sq.: „Sic Agamemnoniam vindex cum Graecia classem Solveret“; In Eutr. I, 12: „Fulmineos sollers Etruria consulat ignes“; 98 sq.: „cumque omnibus unica virtus Esset in eunuchis thalamos servare pudicos“; 383: „Militet ut nostris detonsa Sygambria signis“; 396 sq.: „Discors Oriens felicibus actis Invidet“; 408 sq.: „nec Libyae senserunt damna rebellis Iam transalpina contenti messe Quirites“; 428 sq.: „assuetas sceptris muliebribus urbes Possideant“; 431 sq.: „Peregrina piacula forti Pellantur longe Latio“; II praef. 39: „Iam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus“; II, 94: „patiensque iugi deluditur orbis?“;

257 sq.: „Hic et Apollinea victus testudine pastor Suspensa memores inlustrat pelle Celaenas"; 275 sq.: „Securas barbarus urbes Inrupit"; 388 sq.: „quam (sc. alvum) perpetuis dapibus pigroque sedili . . . oneraverat"; 435 sq.: „largo sopita Lyaeo Castra subit"; 462 sq.: „Iam vaga pallentem densis terroribus aulam Fama quatit"; 475 sq.: „armatam rursus Babylona minari Rege novo"; 567 sq.: „Ei mihi quas urbes et quanto tempore Martis Ignaras uno rapuerunt proelia cursu!"; Fesc. II, 24: „Imperio feta domus"; Nupt. Hon. 176 sq.: „Devotum sentiat aequor, Agnoscat famulum virgo Stilichonia pontum"; 178 sq.: „Victrices nos saepe rates classemque paternam Veximus"; 222 sq.: „quantum crinita sagittis Attulit extremo Meroë circumflua Nilo"; 225: „Cum supplex emeret Romanam Parthia pacem"; 238 sq.: „Cum procul augeri nitor et iucundior aër Attonitam lustrare domum"; III cons. Hon. 18 sq.: „Te nascente ferox toto Germania Rheno Intremuit"; 130: „Velaretque pios communis laurea currus"; 154: „Per consanguineos thalamos"; 156: „sociaque nurum produxit ab aula"; 201 sqq.: „Iam video . . . . . Gemmatosque humilem dispergere Persida cultus"; IV cons. Hon. 73: „hunc (sc. tyrannum) saeva Britannia fudit"; 205: „Splendebatque pio complexus pignora curru"; 387 sq.: „Vos impacatus Araxes, Vos celer Euphrates timeat"; 392 sq.: „animosa tuas ut Gallia leges Audiat"; 448 sq.: „iuratur Honorius absens Imploratque tuum supplex Alamannia nomen"; 457: „Quis victum meminit sola formidine Rhenum?"; 473: „Fessaque pensatis respiret Graecia poenis"; 508 sq.: „sic armipotens Lacedaemon Despexit muros"; 611: „Auspice mox laetum sonuit clamore tribunal"; Cons. Manl. Theod. 29: „quae (sc. Pellae moenia) famulus quondam ditavit Hydaspes"; 54: „O quotiens doluit Rhenus, qua barbarus ibat"; 87 sq.: „quidquid Docta Cleantheae sonuerunt atria turbae"; 127: „Quos (sc. cursus) pia sollicito deprendit pollice Memphis"; 155: „Civibus et vetitis ignavo credere muro"; 249 sq.: „quae dissona ritu Barbaries, medii quam non reverentia frangat?"; 288: „Calliope, liquidas Alciden posce palaestras"; 338: „Decurrat trabeata domus"; Cons. Stil. I, 20: „Tuta quod imbellem miratur Gallia Rhenum"; 30 sqq.: „Singula quem-

que Nobilitant .... Hunc suboles castique tori"; 100sq.: „Tu neque vesano raptas venalia curru Funera"; 192: „Ante tubam nobis audax Germania servit"; 246: „Post domitas Arctos"; 276sq.: „hoc (sc. bellum) coniuratus alebat Insidiis Oriens"; 278sq.: „hinc frugibus atra negatis Urgebat trepidamque fames obsederat urbem"; 382sq.: „si iure perempto Insultaret atrox famula Carthagine Maurus?"; II, 246: „Usque adeone levis pacati gloria Rheni?"; III, 81sq.: „Iam non praetumidi supplex Orientis ademptam Legatis poscit Libyam"; 162: „Sic male sublimes fregit Spartanus Athenas"; 218sq.: „Cives nec fronte superba Despicit (sc. Stilicho) aut trepidam vexat legionibus urbem"; 260: „Et totidem casto genuit quas (sc. nymphas) flumine Ladon"; adiectivum „castus" pertinet ad Syringam nympham, quae Pana fugiens apud Ladonem flumen in arundinetum mutata est;[1]) VI cons. Hon. 24sq.: „et certius omina surgunt Victrici concepta solo"; 132sqq.: „Qualis piratica puppis, Quae cunctis infensa fretis scelerumque referta Divitiis multasque diu populata carinas Incidit in magnam bellatricemque triremim"; 219sq.: „et astu Debilitat saevum cognatis viribus Histrum"; 221sq.: „vertit In se barbariem nobis utrimque cadentem"; 336: „Atque indignantes in iura redegerat Arctos"; 337sq.: „mirataque leges Romanum stupuit Maeotia terra tribunal"; 429sqq.: „Sed nec post Libyam .... patriae mandata vocantis Sprevimus"; 443: „Iam Ligurum trepidis admoverat agmina muris"; 596: „Iure paludatae iam curia militat aulae"; Bell. Poll. 163sq.: „nec coniurantis harenae Turba fuit"; 192sq.: „equitataque summi Culmina Taygeti trepidae vidistis Amyclae"; 297sq.: „Latioque libet post terga relicto Longinquum profugis Ararim praecingere castris?"; 315: „migrantisque fugam compescuit aulae"; 460sq.: „Gavisa repens per moenia clamor Tollitur"; 558sq.: „Nec non et Stilicho pugnam poscentia movit Pleno castra gradu"; 560sq.: „Nunc nunc, o socii, temeratae sumite tandem Italiae poenas"; 565sq.: „Quem discors odiisque anceps civilibus orbis, Non sua vis tutata diu"; 602sq.: „tanta nec clade superbum Contudimus Tanain"; De sene Veron. 8: „Non rauci lites pertulit ille fori"; Epith. Pall. et

[1]) Qua de re conferas Gesneri adnotationem.

Cel. 92: „Casta domus“; Laus Ser. 116: „Aurorae famulas properatur ad urbes“; De salvat. 18 sq.: „mox aetherias evectus in auras Purgata repetens laetum tellure parentem“; Rapt. Pros. I, 41: „Armatos ad castra vocat (sc. Tesiphone) pallentia Manes“; II praef. 51 sq.: „Antraque Musarum longo torpentia somno Excutis“; II, 166: „Turbaque deceptas victrix erumpit in arces“; III, 163 sqq.: „castumque cubile Desertosque toros et, sicubi sederat olim, Perlegit“; 276 sq.: „Hos animos bonus ille sopor castumque cubile Praebuit?“

Ad alia transgrediamur: non semel homines denotantur vestibus, quibus sunt induti, velut cum purpura dicitur pro principe: Cons. Stil. III, 118 sq.: „Posito iam purpura fastu De se iudicium non indignatur haberi“; VI cons. Hon. 614; pro imperatoris familia: Epist. ad Ser. 51 sq.: „Me (sc. Claudianum) iungeret auspex Purpura“ i. e. me cum sponsa coniungeret familia imperatoria auspicum munere fungens. Deinde toga sumitur pro senatu: Cons. Stil. I, 329 sqq.: „ut ducibus mandarent proelia patres Decretoque togae felix legionibus iret Tessera“; VI cons. Hon. 598; quae vis etiam adiectivo hac e voce repetito subiecta est: Cons. Stil. III, 85 sq.: „Ipsa (sc. Roma) iubet signis bellaturoque togatus Imperat“ i. e. senator. Porro hoc adiectivum consulem significat: In Eutr. II, 72; Cons. Stil. III, 215 sq.: „Hunc (sc. Stilichonem) bellis comitare favens, hunc redde togatum consiliis“, quo eodem sensu usurpatur adiectivum trabeatus: IV cons. Hon. 417 sq.: „collectae consule messes Et sulcata diu trabeato rura colono“. His annecto exemplum, cuius metonymia e fabula est deprompta: Rapt. Pros. II praef. 23 sq.: „Cirrhaeasque dei quamvis despexerit artes, Orpheis laurus vocibus acta venit“, ubi laurus duplici significatione occurrit et mutata pro Daphna, quae in laurum versa est, et propria.

Nunc disseramus de ea forma, qua pro hominibus inveniuntur signa, quibus notabiles sunt. Ita pro imperatoribus vel imperatore adhibentur diademata: IV cons. Hon. 19 sq.: „et quae diademata mundo Sparsit Hibera domus“ i. e. quos imperatores gens Theodosii, qui in Hispania natus est, mundo dedit; sceptra: In Ruf. I, 306. Fasces dicuntur pro praefectis: Cons. Stil. I, 236 sqq.: „Provincia missos Expellet citius

fasces quam Francia reges Quos dederis"; secures pro lictoribus: Cons. Stil. III, 200sq.: „denso seu turbine vulgi Circumfusa tuae conscendant rostra secures". Pro exercitu substituuntur signa: In Ruf. II, 151; In Eutr. II, 406; III cons. Hon. 25; Cons. Stil. I, 234, 333; III, 85; VI cons. Hon. 401, 495; insignia: Prob. et Olybr. cons. 162; vexilla: In Eutr. I, 254; aquilae: In Ruf. II, 238; Cons. Stil. I, 170; III, 86; VI cons. Hon. 321; Bell. Poll. 159.

Paulo frequentius pro hominibus instrumenta exstant vel aliae res, quibus utuntur. Exempla habes haec: pro exercitu vel militibus leguntur arma: In Ruf. I, 309; II, 150; Bell. Gild. 286; In Eutr. I, 17; II, 159, 237; IV cons. Hon. 5; Cons. Stil. I, 332; III, 220; VI cons. Hon. 217, 335, 462; Bell. Poll. 397, 533sq.: „Gens robure nostra Tum quoque pollebat, nullis cum fideret armis" i. e. copiis auxiliaribus, ut Gesnerus explicat; Laus Ser. 41; galeae: IV cons. Hon. 151sq.: „ambitur signis augustior infans, Sentit adorantes galeas"; VI cons. Hon. 632; hastae: In Ruf. II, 162: „fraternas ex aequo dividat hastas" i. e. exercitum Honorii et Arcadii; pila: IV cons. Hon. 281; Laus Ser. 235; mucro: III cons. Hon. 55: „Scottumque vago mucrone secutus"; gladii: In Eutr. II, 139; qui inveniuntur in universum pro hominibus gladiis armatis: Cons. Stil. II, 83. Equites significant equi:[1]) In Jacob. mag. eq. 8; sonipes: In Ruf. II, 35. Aratra substituuntur pro agricolis: In Eutr. II, 565sq.: „Iam Bistoniis Haemoque nivali Vastior expulsis oriens squalebit aratris"; falces pro messoribus: VI cons. Hon. 388sq.: „Iam flavescentia centum Messibus aestivae detondent Gargara falces"; mensae pro epulantibus: In Eutr. I, 124, 306. In eandem instrumenti rationem cadit, quod lyra reperitur pro lyrista: Epist. ad Ser. 18; tubae pro poetis, qui carmina epica componunt: Prob. et Olybr. cons. 197sq.: „Talem . . . Nec Latiae cecinere tubae nec Graeca vetustas".

Ei metonymiae formae, qua homines significantur corporis partibus, tribuendum est: Fesc. III, 5sq.: „Tractus ab aula rursus in aulam Redeat sanguis", ubi sanguis occurrit pro filia. Praeterea, quamquam mediocriter cum his consentiunt,

---

[1]) In rerum numero etiam bestias duco.

afferre mihi liceat haec exempla: De piis fratr. 29 sq.: „Qui (sc. fratres) spretis opibus medios properastis in ignes Nil praeter sanctam tollere canitiem“ i. e. nihil servare nisi sanctos parentes; Rapt. Pros. III, 10 sqq.: „tractum proceres tenuere secundum Aequorei, placidus Nereus reverendaque Phorci Canities“ i. e. canus Phorceus.

Restat, ut nonnullos locos commemorem, quorum metonymia attributiva est. Saepe enim adiectiva hominibus propria cum rebus coniunguntur, quas possident vel quibus utuntur.[1]) Quo ex genere sunt haec: In Ruf. II, 237 sq.: „quid dividis olim Concordes aquilas?“; 284: „Proderet incautis qui corda minantia verbis“; 385 sq.: „Nobis etiam, deterrime, nobis Sperasti famulas imponere posse catenas?“; Bell. Gild. 286: „Ne consanguineis certetur comminus armis“; In Eutr. I, 446 sq.: „Visceribus frustra castum Lucretia ferrum Mersit“; 462 sq.: „rapuere tremendas Hannibali Pyrrhoque togas“; Fesc. IV, 30: „Ducant pervigiles carmina tibiae“; III cons. Hon. 14 sqq.: „Cognata potestas Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro Lustravitque tuos aquilis victricibus ortus Miles“; 21: „Ignavas Meroë traxit de crine sagittas“; IV cons. Hon. 151 sq.: „ambitur signis augustior infans, Sentit adorantes galeas“; 160 sqq.: „tibi saepe Diana Maenalios arcus venatricesque pharetras Suspendit“; 281 sq.: „Non sic excubiae, non circumstantia pila Quam tutatur amor“; 608 sq.: „Satyri circum crinemque solutae Maenades astringunt hederis victricibus Indos“; Cons. Manl. Theod. 273: „docti riserunt floribus amnes“; Cons. Stil. I, 68: „Torquebas refugum Parthis mirantibus arcum“; 332: „Cum procerum iussis famulantia cernimus arma“; III praef. 9 sq.: „Seu ... Inferret Libyco signa tremenda mari“; VI cons. Hon. 321: „Expertas horrens (sc. Alaricus) aquilas“; 401 sq.: „Namque inter socias acies cognataque signa Ut vinci miserum, numquam vicisse de-

[1]) Non facio cum Fengero, qui huc talia quoque refert: Mart. XIII, 66, 1: „Ne violes teneras periuro dente columbas“; XIV, 26, 2: „Captivis poteris cultior esse comis“, alia (cf. p. 20). Haec enim mea quidem sententia synecdochae sunt attribuenda, cum adiectiva non ab hominibus transferantur ad res, quas possident vel quibus utuntur, sed potius ad corporis partes.

corum"; Bell. Poll. 158 sq.: „strage pudenda Fuderit imbelles aquilas servilibus armis"; 389: „Ut velut afflictos ferro temptaret inerti"; 417 sq.: „ferroque notatas Perlegit exanimes Picto moriente figuras"; 532: „galeisque Padum victricibus hausi"; Depr. ad Hadr. 41 sq.: „Hoc pro supplicibus ramis, pro fronde Minervae, Hoc carmen pro ture damus"; Laus Ser. 32: „Stamina nocturnae relegens (sc. Penelope) sollertia telae"; 153: „Et gravis incumbens casto Lucretia ferro"; Epist. ad Ser. 17 sq.: „Nulla avium pecudumque fuit, quae ferre negaret Vectigal meritae conubiale lyrae"; Rapt. Pros. I, 65 sq.: „Cur impia tollis Signa?"; 202 sq.: „Hic sedes augusta deae templique colendi Relligiosa silex"; II praef. 11: „Diraque sanguinei vertit (sc. Alcides) praesepia regis".

§ 4. Sequitur, ut id genus tractem, quo res, quae cerni tangive non possunt, deos vel homines significant. Crebro in Claudiani carminibus numen vel numina usurpata occurrunt pro ipso deo vel deis, ut: Prob. et Olybr. cons. 126, 184; In Ruf. I, 18, 171; II, 206; Bell. Gild. 308, 405; In Eutr. II, 35, 109; Nupt. Hon. 77, 240; III cons. Hon. 20 sq.: „positis numen confessa pharetris Ignavas Meroë traxit de crine sagittas", quo loco Honorius deus appellatur, quod eodem modo fit: IV cons. Hon. 136; De equo dono dato 2. Reliqui huius rei loci sunt: III cons. Hon. 105 sqq.: „Iam libertate reducta, Quamvis emeritum peteret natura reverti Numen" i. e. Theodosius, qui post mortem in deorum numerum receptus est; IV cons. Hon. 353, 570 sq.: „sic numina Memphis in vulgus proferre solet" i. e. deorum statuas; Cons. Manl. Theod. 83, 123; Cons. Stil. I, 230; II, 110, 179; III, 58, 254; VI cons. Hon. praef. 15: „plaudebant numina dictis" i. e. familia imperatoria; VI cons. Hon. 200, 328, 656; Bell. Poll. 4, 81, 508; De piis fratr. 28: „iuvenum numina, vota senum", ubi Amphinomus et Anapis fratres intelleguntur, a quibus omnes iuvenes exemplum sibi petant; Epith. Pall. et Cel. 18; Apon. 70: „praesens numen" i. e. Aponi fons; Laus Ser. 29, 223; Epist. ad Ser. 1: „Orphea cum primae sociarent numina taedae" i. e. cum nuptiae Orphei et Eurydices celebrarentur; De salvat. 7; Gigant. 51; Rapt. Pros. I, 90; II, 87, 219, 370; III, 4, 410. Mavortis amor legitur pro Mavorte

amante: Prob. et Olybr. cons. 96; mors pro mortis dea: Rapt. Pros. III, 237sq.: „Nosse nec aurigam licuit: seu mortifer ille Seu mors ipsa fuit“.

Exemplis ad deos pertinentibus prolatis disputetur de ea metonymiae forma, qua virtutes et vitia, quae in hominibus sunt, pro ipsis appellantur. Virtus ponitur pro viro forti: In Eutr. II, 602; probitas pro probis: Cons. Stil. II, 130; pietas pro pio: VI cons. Hon. 434; Bell. Poll. 306; nuptae pudor pro nupta pudica: Fesc. IV, 3: „Iam nuptae trepidat sollicitus pudor“. Praeterea exstat prudentia pro prudenti: Laus Ser. 226; sollertia Bessi pro Besso sollerti: Cons. Manl. Theod. 41; Chunorum feritas pro Chunis feris: Cons. Stil. I, 110; luxuries pro luxuriante: IV cons. Hon. 338sq.: „neve imbelles ad signa ministros Luxuries armata trahat“, ubi imperator armatus demonstratur, qui luxuriei indulget. Pro libidinoso invenitur libido: In Eutr. I, 191; pro inertibus inertia: Cons. Stil. II, 130.

Pergamus nunc ad exempla, in quibus vocabula, quae actionem, perpessionem, eventum, affectum habitumque animi affectu excitatum, condicionem vitae, similia significant, pro ipso homine sumuntur. Quo ex genere sunt haec: labor adhibetur pro hominibus laborantibus vel homine laborante: In Eutr. I, 288, 336; VI cons. Hon. 353; Laus Ser. 194. Pro hostibus aut militibus dicuntur bella vel bellum: In Ruf. II, 24; Cons. Manl. Theod. 156; Cons. Stil. I, 308; VI cons. Hon. 490; Bell. Poll. 287sq.: „aditusque sequendos Barbarico Romana dedit discordia bello“ i. e. exercitui barbarorum; proelia: In Eutr. II, 568; IV cons. Hon. 52; Bell. Poll. 570; pugna: Gigant. 74; pro interfectis caedes: In Ruf. I, 362; strages: Prob. et Olybr. cons. 110; In Ruf. II, 502; Bell. Gild. 40; In Eutr. II, 111; IV cons. Hon. 364; Cons. Stil. I, 132; pro corpore funus: In Ruf. I, 155; II, 416; Bell. Gild. 361; In Eutr. I, 130; II, 117; Cons. Stil. I, 101; Gigant. 57. Clades designat barbarorum gentes cladem illaturas: In Ruf. II, 25: „cladem divisit in orbem“. Dilectus reperiuntur pro militibus conscriptis: Bell. Poll. 463; praesidium pro eo, qui praesidium fert: Bell. Gild. 233; praesidia pro exercitu praesidium praebente: VI cons. Hon. 448; Bell. Poll. 427; excubiae pro

custodibus: IV cons. Hon. 281; Bell. Poll. 422; Rapt. Pros. III, 146; pro quibus custodia quoque occurrit: In Eutr. I, 80; II, 418; IV cons. Hon. 324; Epith. Pall. et Cel. 88. Consilium substituitur pro ducibus consiliantibus: In Eutr. II, 325. Pro multitudine coacta legitur concilium: In Ruf. I, 28; II, 318; In Eutr. II, 403; Cons. Stil. III, 243; conventus: In Ruf. I, 61. Chorus aut chori ponuntur et pro hominibus chorum agentibus et pro quavis caterva: In Eutr. II, 364; Nupt. Hon. 154; VI cons. Hon. praef. 16; VI cons. Hon. 422; Magn. 28; Epist. ad Ser. 52; Rapt. Pros. II, 149, 239; III, 288; pro qua et choreae exstant: Nupt. Hon. 337. Orgia inveniuntur pro orgia celebrantibus: In Eutr. II, 286: „Fixa metu tacitas presserunt orgia buxos"; IV cons. Hon. 604. Eodem redit, quod prolem declarat partus: Prob. et Olybr. cons. 146; In Eutr. I, 1, 72; De salvat. 9; Gigant. 56; Rapt. Pros. III, 308; fetus: Prob. et Olybr. cons. 96, 194; III cons. Hon. 157; De Polycaste 2; Gigant. 3, 124; progenies: Bell. Gild. 332; IV cons. Hon. 19, 207; Cons. Stil. II, 236 sqq.: „Exiguumne putat, quod sic amplexus Hiberam Progeniem nostros inmoto iure nepotes Sustinet" i. e. Theodosii filios, Arcadium et Honorium; Bell. Poll. 308; Gigant. 54. Vota dicuntur pro voventibus: Descr. arm. 4: „Tarpeio referunt quos (sc. tauros) pia vota Iovi"; salutantum studia pro salutantibus studiosis: In Eutr. II, 64; atque item procorum studia pro procis studiosis: Rapt. Pros. III, 413. Nobilitas occurrit pro nobilibus: In Ruf. II, 444; IV cons. Hon. 577; honos pro iis, qui honorem tribuunt: Bell. Poll. praef. 8; De piis fratr. 42; Apon. 4; honores pro magistratibus: Cons. Stil. III, 109; merita pro bene meritis: Cons. Manl. Theod. 160; VI cons. Hon. 607. Porro libertas Romana substituitur pro Romanis liberis: Cons. Stil. III, 194. Pro multitudine legitur turba: In Ruf. I, 112, 213; II, 289, 339; Bell. Gild. 104; In Eutr. I, 92, 153, 466; Fesc. IV, 31; Nupt. Hon. praef. 3; Nupt. Hon. 200; III cons. Hon. 100; IV cons. Hon. 478; Cons. Manl. Theod. 88; Cons. Stil. I, 153; II, 79; VI cons. Hon. praef. 24; VI cons. Hon. 545; Bell. Poll. 462, 609; Gigant. 63; Rapt. Pros. I, 108; II, 166, 301; quae ponitur pro exercitu: IV cons. Hon. 336. Dormientem significant somni vel somnus: Bell. Gild. 447; In Eutr. I, 418; Fesc. IV, 24;

sopor: VI cons. Hon. 477. Gaudia inveniuntur pro gaudente: Bell. Gild. 228; dolores pro dolore affectis: Laus Ser. 155: „Armavit (sc. Lucretia) patriae iustos in bella dolores"; procerum squalor pro proceribus squalentibus: In Eutr. I, 177; horror pro horrentibus: In Eutr. II, 503; ira pro irato: III cons. Hon. praef. 10; furor pro saevis: Bell. Poll. 292. Parem significationem recipit rabies: Bell. Poll. 98. Huc etiam pertinet, quod ingenia sumuntur pro hominibus ingeniosis: Cons. Manl. Theod. 262; Cons. Stil. II, 127; VI cons. Hon. 493; coniugium pro marito: Laus Ser. 28; conubia pro uxoribus: In Ruf. II, 321; pubes pro pueris vel iuvenibus: Bell. Gild. 184; In Eutr. II, 236; Cons. Manl. Theod. 290; Gigant. 14; Rapt. Pros. I, 44; pro militibus: In Ruf. II, 283; Bell. Gild. 416; In Eutr. I, 509; IV cons. Hon. 569; Bell. Poll. 472. Audacter exstat virginitas pro virginibus: In Eutr. I, 328 sq.: „Troianam sola Minervam Virginitas Vestalis adit". Potestas legitur pro eo, qui potestatem tenet: In Eutr. II, 65; Cons. Stil. II, 167; pictura pro pictoribus: Nupt. Hon. 25. Insolentissimum exemplum habemus: VI cons. Hon. 523 sq.: „Ac velut officiis trepidantibus ora puellae Spe propiore tori mater sollertior ornat", ubi officia ponuntur pro ancillis. Pro servo adhibetur servitium: Prob. et Olybr. cons. 138; In Eutr. I, 43; Cons. Stil. II, 325; mancipium: In Eutr. I, 212, 481; II praef. 30; II, 56. Vita occurrit pro ipso homine: Bell. Gild. 391; Rapt. Pros. III, 364. Denique nomen dicitur pro homine: Prob. et Olybr. cons. 204: „qui (sc. uterus) nomina parturit annis" i. e. filios, qui consules creati annis nomen dant; Nupt. Hon. 278; Cons. Manl. Theod. 281; Cons. Stil. I, 203; II, 174; Bell. Poll. 304; pro populo: IV cons. Hon. 59; Bell. Poll. 382.

Iam vero pro hominibus occurrunt affectus, quos in aliis movent, mala, quae aliis intulerunt, similia. Ut exemplis utar, Honorius appellatur „Spes votumque poli": III cons. Hon. 10. Pro Theodosio exstat „decus aetherium terrarum gloria": III cons. Hon. 175. Stilicho nominatur „mundi communis amor": Cons. Stil. III, 52. Eodem modo adhibentur haec verba: spes: Rapt. Pros. II, 138; amores: Cons. Stil. I, 187; gaudia: In Ruf. II, 430; Rapt. Pros. I, 139, 195; dolor: Rapt. Pros. II, 37; voluptas: Rapt. Pros. III, 414;

gloria: Laus Ser. 49; Rapt. Pros. II, 36; superbia: Rapt. Pros. III, 416; decus: Nupt. Hon. 40; Epist. ad Gennad. 1; Rapt. Pros. III, 213, 416; dedecus: In Ruf. II, 520; In Eutr. I, 239; vota: VI cons. Hon. 363; De piis fratr. 28; labores: Rapt. Pros. I, 196; requies: Rapt. Pros. III, 205, 416; fama: Epist. ad Gennad. 2; fiducia: Cons. Stil. III, 122; consilium: Cons. Stil. III, 123; tutela: VI cons. Hon. 598; documenta: De piis fratr. 27; certamina: VI cons. Hon. 491; ludibrium vel ludibria: In Eutr. II, 535; Bell. Poll. 110; risus: In Eutr. II, 535; labes: In Ruf. II, 498; crimen: Cons. Stil. I, 7; nefas: In Eutr. II, 72. Neque vero huc referendum est: In Ruf. II, 405 sq.: „Felix illa manus, talem quae prima cruorem Hauserit et fessi poenam libaverit orbis!“ ut Wannowskius[1]) censet, cum dicit Rufinum ipsum appellari orbis poenam. Sensus enim huius loci mihi plane demonstrare videtur vocabulum „poena“ hic propria vi esse usurpatum.

Quid porro magis est commune quam ut temporum notiones pro hominibus ponantur? Qua significatione leguntur saecula: In Ruf. II, 473; Bell. Gild. 88; In Eutr. I, 233, 477; IV cons. Hon. 99; Cons. Manl. Theod. 191; VI cons. Hon. 151; Bell. Poll. 289; Laus Ser. 10, 55; Rapt. Pros. II, 311 sq.: „Cunctaque praecipiti stipantur saecula cursu Insignem visura nurum“; lustra: Prob. et Olybr. cons. 33; aetas: In Ruf. II, 285; Bell. Poll. 160; Rapt. Pros. II, 285; quae vox exstat pro iuvenibus: Bell. Poll. 35. Praeterea invenitur pro iuvenibus vel iuvene iuventus: In Ruf. II, 250; Bell. Gild. 425; IV cons. Hon. 331, 466; Cons. Stil. I, 315; Bell. Poll. 150, 467; Rapt. Pros. III, 15; iuventa: In Eutr. I, 345; Cons. Manl. Theod. 18; anni: Cons. Stil. III, 121; qui pro consulibus quoque usurpantur: In Eutr. I, 488 sq.: „In crimen euntibus annis Parce, quater consul!“ Pro sene vel senibus adhibetur senectus: In Eutr. I, 94; Bell. Poll. 484; senecta: Cons. Manl. Theod. 67: „Omnia Cecropiae relegis secreta senectae“, ubi philosophi Atheniensium designantur. Vetustas sumitur pro veteribus: In Ruf. I, 283; pro poetis antiquis: Prob. et Olybr. cons. 198; Bell. Poll. 124;

---

[1]) Metonymiae ratio e scriptoribus Latinis explicata. Programm des Kgl. Marien-Gymnasiums zu Posen für das Schuljahr 1859/60, p. 5.

pro vetustatis consulibus: In Eutr. II, 124; posteritas pro posteris: In Ruf. II, 285; In Eutr. II, 70; Cons. Manl. Theod. 339; Bell. Poll. 423. Addo: Rapt. Pros. I, 55sq.: „O maxime noctis Arbiter“ i. e. inferorum.

Denique mihi agendum est de ea attributivae metonymiae forma, qua adiectiva hominibus proprie attribuenda ad eorum condicionem, ad virtutes et vitia, ad ea, quae agunt, vel similia sunt translata. Haec docent: In Ruf. I, 211sq.: „hic mollis panditur herba Sollicitum curis non abruptura soporem“; 267sq.: „Hucusque minatus Haerebat retroque fuga cedebat inerti“; II, 59sq.: „Hi vigili muros statione tueri, Hi iunctis properant portus munire carinis“; 130: „At procul exsanguis Rufinum perculit horror“; Bell. Gild. 67: „Pavido metimur caerula voto“; 133: „Coeperat et sacrum dextra sedare tumultum“; 177sq.: „Fixus quisque toro tacita formidine libat Carnifices epulas“; 284sq.: „Tollite Massylas fraudes; removete bilingues Insidias“; 447: „Excitet incestos turmalis bucina somnos“; In Eutr. I, 180: „Marmaricus claris violatur caedibus Hammon“; 191: „hoc uno fruitur succisa libido“; 402sq.: „Ni tua vel soceri numquam non provida virtus Australem Arctois pensasset frugibus annum“; 418: „sacroque adhibere silentia somno“; 489sq.: „Contagia fascibus, oro, Defendas ignava“; II, 52: „Et ruit in vetitum damni secura libido“; 134: „num saltem tacita formidine mussant?“; 394: „ignavis trahimus dum tempora votis“; 502sqq.: „cuius (sc. Stilichonis) semper acerbum Ingratumque sibi factorum conscius horror Credidit adventum“; Nupt. Hon. 8sqq.: „quotiens incanduit ore Confessus secreta rubor nomenque beatum Iniussae scripsere manus!“; 21sq.: „quid iungere differt, Quam pepigit, castasque preces implere recusat?“; III cons. Hon. 11sq.: „strictis quem fulgida telis Inter laurigeros aluerunt castra triumphos“; 40sq.: „Non tibi desidias molles nec marcida luxu Otia nec somnos genitor permisit inertes“; 104sq.: „et ultrices in se converterat iras Tandem iusta manus“; IV cons. Hon. 324: „praebenda vigil custodia vallo“; 332sq.: „Si longa moretur Obsidio, tum vota cave secura remittas“; 338sq.: „neue imbelles ad signa ministros Luxuries armata trahat“; 412: „Discitur hinc

quantum paupertas sobria possit"; Cons. Manl. Theod. 40sq.: „Quidquid luce procul venas rimata sequaces Abdita pallentis fodit sollertia Bessi"; Cons. Stil. I, 64: „Si quando sociis tecum venatibus ibant"; 82sq.: „inde pium matris regina gerebat Obsequium"; 110sq.: „Nec vaga Chunorum feritas .... pepulere (sc. te)"; 117: „Si quando trepida princeps pietate vocaret"; II, 1: „Hactenus armatae laudes"; 129sqq.: „cum cernat uterque Quod nec inops iaceat probitas nec inertia surgat Divitiis"; 209sq.: „cingunt superi concordibus unum Praesidiis"; 217: „Aut monitos certa dignantur (sc. superi) imagine somnos"; VI cons. Hon. 206: „Nil sibi periurum sensit prodesse furorem"; 434sq.: „sic credit pietas, non sanguine solo, Sed claris potius factis experta parentem"; 477sq.: „taciti nulla qui fraude soporis Ense palam sibi pandit iter"; 523sq.: „Ac velut officiis trepidantibus ora puellae Spe propiore tori mater sollertior ornat"; 582sq.: „Quo (sc. die) tibi confusa dubiis formidine rebus Infantem genitor moriens commisit alendum"; Bell. Poll. 97sq.: „ne peior in arto Saeviret rabies venturae conscia mortis"; 305sq.: „Sed numquam oblita decoris Obscenam latebram pietas ignava requiret"; 360sqq.: „Illi sub nivibus somni curaeque laborque Pervigil hanc requiem terris . . . dabant"; 371sq.: „libertatemque perosus Conscia servilis praecordia concutit horror"; 483: „Et tremulos regit hasta gradus"; De piis fratr. 7sq.: „Grandaevi gemina sublimes prole feruntur Et cara natos implicuere mora"; Depr. ad Hadr. 55: „Inruat in miseros cognata potentia cives"; Epith. Pall. et Cel. 92: „Casta domus, sincera fides, industria sollers"; Laus Ser. 28sq.: „Sit Claudia felix Teste dea castosque probet sub numine mores"; 95sq.: „Successusque suos arcani conscia voti Spe trepidante tegit"; 144sq.: „post naufraga somni Otia progressum foliis expavit Ulixen"; Rapt. Pros. I praef. 10: „Cordaque languentem dedidicere metum"; I, 32: „Dux Erebi quondam tumidas exarsit in iras"; 50sq.: „genibusque suas cum supplice fletu Admovere manus"; 79sq.: „Ipse rudi fultus solio, nigraque verendus Maiestate sedet"; II, 273sq.: „Talibus ille ferox dictis fletuque decoro Vincitur"; 324sq.: „et vultibus addunt Flammea sollicitum praevelatura

pudorem"; 365sq.: „Exultant cum voce pii Ditisque sub aula Talia pervigili sumunt exordia plausu"; III, 3: „Illa (sc. Iris) colorato Zephyros illapsa volatu"; 30sq.: „Provocet ut segnes animos rerumque remotas Ingeniosa vias paulatim exploret egestas"; 200sq.: „Insidias superum, cognatae vulnera cernis Invidiae"; 331sq.: „Haec fatur notaeque iugis illabitur Aetnae Noctivago taedas informatura labori".

Exempla, in quibus adiectiva hominibus propria cum temporum notionibus copulantur, sunt haec: In Ruf. I, 372sq.: „Iamque aderit laeto promissus Honorius aevo, Nec forti genitore minor"; Bell. Gild. 115: „emeritae iam praemia nulla senectae"; In Eutr. II, 124: „rueret derisa vetustas"; III cons. Hon. 48: „Nec non in clipeo vigiles producere noctes"; 85: „Tantaque se rudibus pietas ostendit in annis"; IV cons. Hon. 371: „Veniet robustior aetas"; Cons. Manl. Theod. 16sq.: „Talem te protinus anni Formavere rudes"; 157sq.: „At non Pythagorae monitus annique silentes Famosum Oebalii luxum pressere Tarenti"; Cons. Stil. I, 40sq.: „tenerisque etiam fulgebat in annis Fortunae maioris honos"; III, 89sq.: „Nil perdit decoris prisci nec libera quaerit Saecula"; 121: „teneros his moribus induit annos"; VI cons. Hon. 424sq.: „Quem tenero patris comitem susceperat aevo, Nunc duce cum socero iuvenem te Thybris adoret"; Bell. Poll. praef. 1sq.: „Post resides annos longo velut excita somno Romanis fruitur nostra Thalia choris"; Bell. Poll. 160sq.: „Nos terrorum expers et lusu mollior aetas Deficimus queruli"; 483sq.: „nititur altis Pro baculo contis non exarmata senectus"; 521sq.: „Si non mentis inops fraudataque sensibus aetas Praeberet veniam"; Laus Ser. 217sqq. „cum . . . castae tuto per dulcia noctis Otia pugnarum seriem narrare iuberes"; Rapt. Pros. I, 33sq.: „quod solus egeret Conubiis sterilesque diu consumeret annos"; III, 20sq.: „Saturnia postquam Otia et ignavi senium cognovimus aevi".

§ 5. Priusquam ad alteram huius dissertationis partem transeo, commemorare mihi liceat ea exempla, in quibus dei vel homines ponuntur alii pro aliis. Cuius formae

pauca tantum exstant exempla. Nam ut Lindskogius[1]) et Fengerus[2]) ita ego quoque omnia, quae e comparatione pendent vel similitudine quadam inter se cohaerent, metaphorae annumero. Sed haec hactenus. Videamus nunc de exemplis. Initium duco ab iis, in quibus dei inveniuntur pro hominibus, qui in eorum tutela sunt. Huc spectat, quod Mars sumitur pro armatis: Bell. Poll. 25 sq.: „Et virides galeis sulcos fetasque novales Martis"; Bellona pro militibus: Bell. Poll. 466. Simili modo Barthius, Gesnerus, Birtius intellegunt etiam: IV cons. Hon. 11 sqq.: „Ipsa Palatino circumvallata senatu Iam trabeam Bellona gerit parmamque removit Et galeam sacras umeris vectura curules. Nec te laurigeras pudeat, Gradive, secures Pacata gestare manu". Dicunt enim Bellonam hoc loco designare milites vel potius equites et Gradivum forte tribunos, qui Honorio consuli secures praeferrent. Quam explicationem prorsus falsam esse e verbis sequentibus „dum ferreus haeret Currus et Eridani ludunt per prata iugales" perspicue apparet, cum huic interpretationi minime conveniant. Puto potius cum Koenigio hanc meram esse fictionem poeticam. — Quirinus usurpatur pro populo Romano: Cons. Stil. III, 99; Bell. Poll. 638 sq.: „Nam saepe locis ac finibus illis Plena lacessito rediit vindicta Quirino"; pro Quiritibus: IV cons. Hon. 8; VI cons. Hon. 9. Pro poetis vel poeta reperiuntur Musae: Cons. Stil. III praef. 19; VI cons. Hon. 125; Depr. ad Hadr. 51; Camenae: Laus Ser. 15. Ceres adhibetur pro rusticis: Bell. Poll. 466; Epist. ad Ser. 41: „Nec, quod nostra Ceres numerosa falce laboret", quem versum Gesnerus mea quidem sententia inepte explicat adnotans: ‚dat igitur ipsi Cereri falcem, qua fruges, quas produxit, resecet.'

Unicum exemplum, ut ad cetera progrediamur, exstat eius speciei, quae efficitur, cum parentes substituuntur pro liberis: Rapt. Pros. III, 180 sq.: „Quod cernimus, inquit, Excidium? Cui praeda feror?", ubi violenti commutatione Ceres se praedam ferri dicit, cum Proserpina filia a Plutone rapiatur.

Cui formae simillima est ea, qua dei hominesve pro deis hominibusve per antonomasiam usurpantur. Huc

[1]) Cf. p. 60.
[2]) Cf. p. 25.

cadit usus patronymicorum, quorum haec inveni exempla: Saturnius pro Iove: Gigant. 16; Nereis pro Thetide: Prob. et Olybr. cons. 202; Nereides pro Nerei filiabus: In Eutr. II praef. 68; Nupt. Hon. 159, 283; IV cons. Hon. 555; Laus Ser. 80; Latonia pro Diana: In Ruf. II, 420; Cons. Manl. Theod. 293; Cons. Stil. III, 238, 346; Bell. Poll. 441; Laus Ser. 122; Rapt. Pros. II, 233; Thaumantis pro Iride: Rapt. Pros. III, 1; Alcides pro Hercule: Bell. Gild. 418; IV cons. Hon. 533; Cons. Manl. Theod. 288; Depr. ad Hadr. 15; Laus Ser. 174; Rapt. Pros. II praef. 9; Thyestiades pro Agamemnone: VI cons. Hon. 113; Phylacides pro Protesilao: Laus Ser. 151; Tydides pro Diomede: VI cons. Hon. 470; Schoeneis pro Atalanta: Laus Ser. 170; Scipiades vel Scipiadas pro Scipione: Cons. Stil. III praef. 1, 21; Bell. Poll. 141; Honoriades pro Honorii filio: Nupt. Hon. 341. Porro Pierides leguntur pro Musis: In Ruf. I, 24; Epist. ad Ser. 61; Heliades pro Helii filiabus: VI cons. Hon. 164; Acheloides pro Sirenibus: Rapt. Pros. III, 254; Iapetionidae pro Prometheo atque Epimetheo: In Eutr. II, 491; Aloidae pro Oto Ephialtaque: Bell. Poll. 74; Inachides pro mulieribus Argivis: Bell. Gild. 407; Honoriades pro Serena et Thermantia, Honorii filiabus: Laus Ser. 131. Neque ab his distant: Prob. et Olybr. cons. 240: „En nova Ledaeis suboles fulgentior astris“ i. e. astris Castoris Pollucisque; Cons. Manl. Theod. 298 sq.: „Conveniant ursi, magna quos mole ruentes Torva Lycaoniis Helice miretur ab astris“, ubi ursa maior respicitur, in quam Callisto, Lycaonis filia, mutata est.

Tum enumerentur eius generis exempla, quo ex uno plures intelleguntur. Quam speciem summo iure metonymiae subiciendam esse Lindskogio[1]) assentior. Tropus enim, qui in his cernitur, non procreatur numerorum commutatione, sed eo continetur, quod cogitatione persona quaedam conformatur, quae multitudinem quasi repraesentet. Qua de re conferas: In Ruf. I, 310 sqq.: „Mixtis descendit Sarmata Dacis Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes caesamque bibens Maeotin Alanus Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus, Rufino collecta manus“; Cons. Stil. I, 109 sqq.: „Non te terrisonus stridor venientis Alani Nec vaga Chunorum feritas, nec falce Gelonus,

[1]) Cf. p. 60.

Non arcu pepulere Getae, non Sarmata conto". Pari sensu occurrit Alanus: VI cons. Hon. 224; Bell. Poll. 581; Arabs: IV cons. Hon. 258; Cons. Stil. I, 156; Arcas: IV cons. Hon. 471; Armenius: Bell. Gild. 243; Nupt. Hon. 222; IV cons. Hon. 531; Assyrius: Cons. Stil. III, 164; Belga: Cons. Stil. I, 226; Bessus: Cons. Manl. Theod. 41; Bructerus: IV cons. Hon. 451; Chunus: In Eutr. II, 338; Cimber: IV cons. Hon. 452; Bell. Poll. 293; Colchus: Cons. Stil. I, 155; Dacus: III cons. Hon. 28; Francus: In Eutr. I, 394; Gallus: Cons. Stil. II, 186; III, 143; Garamas: Cons. Stil. I, 255, 355; Nilus 20; Gelonus: Nupt. Hon. 221; IV cons. Hon. 486; Germanus: Cons. Stil. I, 209; Gruthungus: In Eutr. II, 196; Indus: III cons. Hon. 211; Cons. Stil. I, 158; VI cons. Hon. 415; Ligus: VI cons. Hon. 363; Macedo: Cons. Stil. III, 165; Bell. Poll. 180; Maurus: Nupt. Hon. 219; IV cons. Hon. 28; Cons. Stil. I, 19, 357; Mazax: Cons. Stil. I, 356; Medus: Nupt. Hon. 224; IV cons. Hon. 258; Cons. Manl. Theod. 152; Cons. Stil. I, 67, 157; III, 163, 164; VI cons. Hon. 415; Nasimon: Cons. Stil. I, 256, 354; Nuba: Cons. Stil. I, 254; Pannonius: Cons. Stil. II, 192; Parthus: III cons. Hon. 201; IV cons. Hon 531; Perses: Cons. Stil. III, 164, 165; Pictus: In Eutr. I, 393; Cons. Stil. II, 254; Bell. Poll. 418; Poenus: Cons. Stil. III, 143; Saces: Cons. Stil. I. 157; Salius: Cons. Stil. I, 222; Sarmata: In Eutr. II, 338; IV cons. Hon. 485; Saxo: In Eutr. I, 392; Nupt. Hon. 219; IV cons. Hon. 31; Cons. Stil. II, 255; Epith. Pall. et Cel. 89; Scottus: III cons. Hon. 55; Cons. Stil. II, 251; Bell. Poll. 417; Epith. Pall. et Cel. 90; Scytha: In Eutr. I, 508; Spartanus: IV cons. Hon. 471; Cons. Stil. III, 162; Suebus: In Eutr. I, 394; III cons. Hon. 28; IV cons. Hon. 655; Sygambrus: Cons. Stil. I, 222. — Aliter res se habere mihi videtur, ubi dux ponitur pro exercitu, ut: Bell. Poll. 645 sq.: „Hic Cimbros fortesque Getas, Stilichone peremptos Et Mario claris ducibus, tegit Itala tellus". Talia contra Volkmannum[1]) et Gerberum[2]) metonymiae attribuenda esse nego, sed, cum dux sit exercitus pars neque exercitus sine duce cogitari omnino possit, potius ad synecdocham refero.

[1]) Die Rhetorik der Griechen und Römer, Berlin 1872, p. 361.

[2]) Die Sprache als Kunst, Berlin 1885, vol. II p. 58.

Quibus affigam nonnullos locos, qui tropum exhibent attributivum: In Ruf. I, 280sq.: „rigida cum Gorgone Perseus: Tu non vipereo defensus crine Medusae; IV cons. Hon. 96sq.: „Has dedit inferias tumulis, iuvenumque duorum Purpureos merito placavit sanguine Manes".

§ 6. Quoniam de eo metonymiae genere, quod ad deos hominesve et res spectat, satis dictum esse arbitramur, accingamus nos ad id, quod in rebus solis versatur. Ac primum quidem de ea forma disseram, qua res sensibus subiectae inter se commutantur. Incipiamus autem ab iis exemplis, quae attinent ad corporis partes. Os invenitur pro carmine: VI cons. Hon. 493; Bell. Poll. 124. Nova plane significatione[1]) poeta ponit iugulum duobus locis, ubi sanguinem denotat: Nupt. Hon. 328sq.: „Non ulla nocendi Tela nec infecti iugulis civilibus enses"; IV cons. Hon. 75sq.: „domini respersus uterque Insontis iugulo". Ubera usurpantur pro lacte: Laus Ser. 87; pollex pro pectine: Nupt. Hon. 19; pro calculo: Cons. Manl. Theod. 127. His annecto: In Ruf. I, 353: „largo saturatur vulnere cornus", quo in versu vulnus dicitur pro cruore.

Deinde locus sumitur pro iis, quae in eo insunt. Sic caelum exstat pro aere: In Ruf. I, 301; pro terra sub caelo sita: Nil. 14. Eadem ratione adhibentur convexa poli: Bell. Gild. 2; orbita solis: In Ruf. II, 155sq.: „Non orbita solis, Non illum natura capit" i. e. omnes terrae, quae soli orienti occidentique interiacent. Oceanus substituitur pro terris, quae in Oceano positae sunt: In Ruf. I, 196sq.: „Teneas utrumque licebit Oceanum" i. e. terras inter Oceanum Indicum atque Atlanticum sitas; mare Rubrum pro gemmis: Laus Ser. 4; De cryst. VII, 2: „nec Rubro vilior iste (sc. crystallus) mari"; freta pro navibus: Rapt. Pros. II, 107; Araris pro frumento, quod in huius fluminis ripis nascitur: In Eutr. I, 405; Thybris pro Roma urbe: In Eutr. II, 127; IV cons. Hon. 578; inferni lacus pro cymba Charontis: In Ruf. II, 456. Praeterea orbis legitur pro luce, qua terrae incolae fruuntur: Rapt. Pros. II, 193sq.: „longa solitos caligine pasci Terruit orbis equos". Pro feris inveniuntur Maenala: Cons. Stil. III, 250; Rapt. Pros.

[1]) Cf. Wannowsky, p. 28.

I, 230; montes: Cons. Manl. Theod. 310: „consumant totos spectacula montes". Vallis Murcia designat circum maximum, qui in hac valle exstructus erat: Cons. Stil. II. 404; agri vel ager sumuntur pro frumento: Rapt. Pros. II, 121; pro floribus et herbis: Rapt. Pros. III, 233. Herbae significationem recipiunt etiam prata: Rapt. Pros. III, 239; pascua: Rapt. Pros. I, 280; quae adhibentur pro gregibus: Cons. Stil. III, 343. Horti occurrunt pro floribus; Rapt. Pros. II, 80; roseta pro rosis: Fesc. II, 8; violaria pro violis: Rapt. Pros. III, 233. Reliqua huius formae exempla sunt haec: domus pro opibus: In Curet. I, 8; aerarium pro pecuniis: IV cons. Hon. 499; Cons. Manl. Theod. 231; Cons. Stil. II, 145; VI cons. Hon. 606; Laus Ser. 64; thalamus pro toro geniali: Nupt. Hon. 213; Magn. 30; stabula pro iuvencis: In Eutr. I, 388; III cons. Hon. 81; ovile pro ovibus: Laus Ser. 73. Denique rupes reperitur pro caverna: III cons. Hon. 80.

Non semel flumina substituuntur pro aqua, cuiusmodi sunt haec: In Ruf. II praef. 9: „Alpheus late rubuit"; Cons. Stil. III, 158: „Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem"; VI cons. Hon. 488 sq.: „Celer Addua nostro Sulcatus socero". Accedunt haec flumina vel lacus pro aqua usurpata: Almo: Bell. Gild. 119; Arar: In Eutr. II, 269; Danuvius: IV cons. Hon. 623; Cons. Manl. Theod. 235; Enipeus: Bell. Poll. 183; Ganges: Cons. Manl. Theod. 236; Hister: In Ruf. I. 184; Bell. Poll. 337; In Jacob. mag. eq. 7; Halys: In Ruf. II, 32; In Eutr. II, 251; Hebrus: In Eutr. II, 414; III cons. Hon. 147; Hermus: Cons. Stil. III, 228; Hydaspes: In Ruf. II, 243; Indus: In Eutr. II, 102; Ladon: Cons. Stil. I, 185; Maeotis: In Ruf. I, 312; palus Maeotia: IV cons. Hon. 180; Nilus: In Ruf. I, 185; Rapt. Pros. II praef. 43; Pactolus: Prob. et Olybr. cons. 54; Padus: Bell. Poll. 532; Peneus: Rapt. Pros. II, 180; Rhenus: In Eutr. II, 251; Savus: Cons. Stil. II, 192; Sperchius: Bell. Poll. 183; Strymon: Nupt. Hon. 310; Triton: IV cons. Hon. 36. Pari sensu exstat alveus: Prob. et Olybr. cons. 227; ripae: Rapt. Pros. III, 26; fontes vel fons: Nupt. Hon. 69 sq.: „Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus alter"; Epith. Pall. et Cel. 100; Apon. 1; Phoen. 13; De cryst. V, 2; Concha 1; putei: In Eutr. I, 5. — Sed flumina

leguntur non solum pro aqua, sed etiam pro auro, quod in iis est, ut: In Ruf. I, 101 sqq.: „Non Tartesiacis illum (sc. Rufinum) satiaret harenis Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis Aurea Pactoli; totumque exhauserit Hermum: Ardebit maiore siti“.

Sequuntur exempla, in quibus urbs, e qua colonia est deducta, pro ipsa colonia ponitur. Quam ad formam pertinet: Cons. Stil. I, 344: „Illaesis Tyrii gaudent cultoribus agri“ i. e. agri Carthaginiensium; Cons. Stil. III praef. 9: „Seu Tyrias certa fracturus cuspide vires“ i. e. vires Carthaginiensium. Eodem modo sumitur adiectivum Sidonius: Bell. Gild. 191: „Barbara Sidoniae subeunt conubia matres“. Ab his vix distinguere licet: In Eutr. I, 482 sq.: „Ille cruorem Consulis unius Pellaeis ensibus hausit“, ubi Pellaei enses inveniuntur pro ensibus Aegyptiis, quod Ptolemaeus, Alexandri magni dux, eiusque successores reges erant Aegypti.

Interdum pro re locus adhibetur, ubi est creata vel effecta. Dicuntur enim Sidoniae vestes pro vestibus purpureis: Nupt. Hon. 212: „Sidoniasque solo prosternite vestes“; Sidoniae chlamydes pro chlamydibus purpureis: Cons. Stil. II, 88. Non aliter occurrit adiectivum Tyrius: In Ruf. I, 207; In Eutr. I, 422; IV cons. Hon. 140; Cons. Stil. I, 79; III, 179; De zona eq. reg. 8. Adde: Rapt. Pros. III, 45 sqq.: „Tales cum saepe parentis Pertulerim questus, tandem clementior orbi Chaonio statui gentes avertere victu“ i. e. glandibus.

Porro metonymia oritur, cum materia substituitur pro re ex ea facta. In hac forma, quam viri docti modo synecdochae modo metonymiae adiunxerunt, tractanda sine dubio Lindskogius,[1]) quem Fengerus[2]) est secutus, rectam viam ingressus est eo, quod illam in duas divisit partes. Ea enim, in quibus a re proposita non disceditur atque aut totum pro parte aut genus pro specie exhibetur ad synecdocham refert. Omnia autem, ubi materia pro re inde effecta ita usurpatur, ut, qualis materia antea fuerit, respiciatur, aliud igitur quiddam pro eo, quod est illustrandum, nominetur, rectissime per metonymiam intellegit. Quibus praemissis exempla huius formae apud Clau-

[1]) Cf. p. 39.
[2]) Cf. p. 28.

dianum exstantia proferam. Pro nave reperitur alnus: In Ruf. II, 503; IV cons. Hon. 422, 625; Cons. Stil. I, 286; Rapt. Pros. I praef. 3; II. 178; pinus: Prob. et Olybr. cons. 246; quae idem valet ac fax: Rapt. Pros. I, 40. Pari sensu leguntur taxi: Rapt. Pros. III, 386. Hastam significat fraxinus: In Ruf. I, 218; Rapt. Pros. II, 227; cornus: In Ruf. I, 353; Bell. Gild. 212; IV cons. Hon. 520; quercus: Cons. Stil. II, 372; quae ponitur pro corona quernea: Cons. Stil. III, 72; Laus Ser. 182. Laurus invenitur pro coronis laureis: Nupt. Hon. 299; Cons. Stil II, 375; Gigant 34; myrtus pro coronis myrteis: Nupt. Hon. 208, 299; Magn. 28. Usitatum est, quod buxus collocatur pro tibia: In Eutr. II, 286; Rapt. Pros. I, 211; II, 268; III, 130. Crocus usurpatur pro colore croceo: Nupt. Hon. 211; thymus pro melle thymi: Rapt. Pros. II, 125; gramen pro graminis suco: Apon. 98; nives vel nix pro aqua e nive soluta: III cons. Hon. 49: „In galea potare nives"; De equo 5; De zona eq. reg. 6; quo eodem modo adhibentur pruinae: In Eutr. I, 247: „Caucasias captiva bibunt armenta pruinas". Ostrum sumitur pro veste ostro colorata: In Ruf. II, 450; Bell. Gild. 327; Nupt. Hon. 340; III cons. Hon. 15; IV cons. Hon. 125; pro loro purpureo: Prob. et Olybr. cons. 90. Quod ad bestias attinet, murex dicitur pro muricis suco: In Ruf. I, 208, 384; IV cons. Hon. 552; Cons. Stil. II, 333; Epith. Pall. et Cel. 141; Phoen. 86; insolenter pro veste muricis suco tincta: IV cons. Hon. 645 sq.: „quae murice fulgens Ibit in amplexus tanti regina mariti?". Similiter purpura substituitur pro colore purpureo: Rapt. Pros. I, 272; pro veste purpurea vel vestibus purpureis: In Ruf. II, 346; Fesc. IV, 25; III cons. Hon. 4; IV cons. Hon. 553; Magn. 30; pro phaleris purpureis: De equo 10. Cochleae exstant pro cochlearum testis: In Eutr. I, 356. Lyram declarat testudo: In Eutr. II, 257; Cons. Manl. Theod. 252; chelys: III cons. Hon. praef. 18; Cons. Manl. Theod. 314; VI cons. Hon. 123; Rapt. Pros. II praef. 8. Quibus audaciora sunt: Rapt. Pros. I, 17 sq.: „quem (sc. Iacchum) Parthica velat Tigris" i. e. pellis tigridis Parthicae; In Eutr. II, 387: „Non septem vasto quatiens umbone iuvencos", ubi iuvencorum coria accipiuntur[1])

[1]) Exemplum huic simile invenitur: Verg. Aen. X, 784 sq.: „tribusque Transit (sc. hasta) intextum tauris opus."

Haec exempla in metonymia versari mihi videntur, quia illo loco tigris, hoc iuvenci, quamquam iam animas ediderunt, a poeta finguntur cogitatione tamen viventes. Ab his autem discrepat: In Ruf. II, 129: „caesis obtendit plaustra iuvencis", quod, cum caesi iuvenci pro coriis ponantur i. e. totum pro parte, synecdochae annumero.

Venio ad vasa aliasque res, quibus ea designantur, quae in iis insunt. Pro vino leguntur crateres: Nupt. Hon. 197; paterae: Prob. et Olybr. cons. 247; dolia: In Iacob. mag. eq. 12; pro aqua urna: Cons. Stil. II, 461; pocula: De cryst. V, 4; quae exstant pro herbarum sucis: Apon. 98; pro veneno: Laus Ser. 21. Pro sagittis inveniuntur pharetrae: IV cons. Hon. 533; De Polycaste 5; arcus: In Ruf. I praef. 1; In Eutr. I, 332; II praef. 55; Nupt. Hon. 118; IV cons. Hon. 359, 528; Cons. Stil. I, 111; II, 352; Rapt. Pros. II praef. 37; pro capite cristae: Magn. 50; tiara: VI cons. Hon. 71. Faces usurpantur pro igne: In Ruf. II, 57; IV cons. Hon. 57; quem designat rogus: Phoen. 62. Praeterea mensae sumuntur pro cibo: Prob. et Olybr. cons. 171 sq.: „Ante Thyesteis iterum conterrita mensis Intercisa dies refugos vertetur in ortus" i. e. conterrita epulis e Thyestae filiis paratis, quas Atreus Thyestae fratri apposuit; Bell. Gild. 401; foci pro ligno: VI cons. Hon. 454; altaria pro ture: Phoen. 96; nidi pro pullis: III cons. Hon. praef. 5: „Protinus implumes convertit ad aethera nidos"; cerea castra pro apibus: Rapt. Pros. II, 126; iuga pro cervis iugalibus: Cons. Stil. III, 294; habenae pro curru equis iuncto: Phoen. 48; Rapt. Pros. II, 168; III, 242; currus pro equis: IV cons. Hon. 68; Cons. Manl. Theod. 187; Rapt. Pros. I, 1. Inepte Gesnerus: De quadriga marm. 2 currum pro equis, qui pedibus anterioribus sublatis in aurigam se reclinant, positum esse arbitratur. Poeta enim verbis „Surgit in aurigam currus; paribusque lupatis Unanimes frenantur equi" describere vult, quae eodem lapide expressa videt: currum, aurigam, equos. Gesneri autem sententia currus omnino non fit mentio. Hoc loco cum Barthio currum ipsum esse accipiendum ceterum aperte demonstratur versu 5: „Vir redit in currum; ducuntur ab axe iugales", ubi aliis verbis idem dictum est atque in versu 2 sq. — Classes occurrunt pro frumento, quod ex Africa in

Italiam apportant: Bell. Gild. 54; nubes pro imbre: Nil. 5. Pro carminibus dicitur pagina: Prob. et Olybr. cons. 197; In Eutr. I, 232; Cons. Manl. Theod. 255; Laus Ser. 162; libri: In Aleth. quaest. 11; Laus Ser. 147. Charta reperitur pro epistula: In Eutr. II praef. 19; tabulae pro praeceptis: IV cons. Hon. 497; cera pro imagine picta: Nupt. Hon. 26 sq.: „Nec variis dubium thalamis lecturus amorem Ardua commisi falsae conubia cerae". De hoc loco virorum doctorum sententiae in diversum tendunt. Barthius ceram hic idem esse ac pigmentum aut colores, quibus pictores utuntur, censet. Multo autem melius Gesnerus et Koenigius[1]) imagines virginum in ceram depictas intellegunt. Quamquam minus huc pertinet, tamen his adicere mihi liceat audacter solium poni pro divitiis atque opibus: In Ruf. I, 198: „Iungatur solium Croesi Cyrique tiara" i. e. iungantur divitiae Croesi et potentia Cyri; In Eutr. I, 213 sq.: „Pollentem solio Croesum victoria Cyri Fregit".

Cui formae est contraria ea, qua pro loco aut alia pro re id usurpatur, quod in iis est. Quo ex genere sunt haec: Olympus invenitur pro caelo: In Ruf. I, 50; Bell. Gild. 18, 148; Nupt. Hon. 300; III cons. Hon. 33; Cons. Manl. Theod. 79; Cons. Stil. III, 135; VI cons. Hon. 101, 169; Epist. ad Ser. 21; Rapt. Pros. III, 18, 269; aurae pro locis superis: Rapt. Pros. I, 66; imbres pro nubibus: IV cons. Hon. 173; sata pro agro: Bell. Poll. 32. Pro litore sumitur alga: III cons. Hon. 197; IV cons. Hon. 597; harenae: Bell. Gild. 33. Deinde harenae vel harena substituuntur pro locis harenosis: Bell. Gild. 319; pro amphitheatro: In Ruf. II, 395; Cons. Manl. Theod. 309; Cons. Stil. III, 271, 316; VI cons. Hon. 619. Aestus dicuntur pro locis aestuosis: Cons. Stil. I, 337; III, 277; nives pro montibus nive tectis: In Ruf. II, 29; quos designant pruinae: Cons. Stil. III, 256; tenebrae pro locis tenebrosis: Prob. et Olybr. cons. 43; pro carcere: In Ruf. I, 235; rostra pro fori Romani tribunali, ubi affixa erant: Cons. Stil. II, 390; III, 106;

---

[1]) Hic vir doctus verba Gesneri ‚ut . . . . connubia, rem maximi momenti, fallaci e cera imagini committens, e picturae testimonio uxorem duceret' falso perspexisse videtur, cum adnotat: Gesnerus imagines cereas intellegit, quales in atriis veterum exponerentur. Gesnerum autem imagines pictas accepisse ex eius adnotatione plane apparet.

VI cons. Hon. 42, 587, 644; Bell. Poll. 82; sagittae pro pharetris: Cons. Stil. III, 244. Equi reperiuntur pro curru: In Eutr. II, 423; Cons. Stil. II, 370; III, 20; columbae pro Veneris curru: Cons. Stil. II, 354; tineae pro calva tineis exesa: In Eutr. I, 260: „Pulvere respersus (sc. Eutropius) tineas“. Item canities ponitur pro canis: In Ruf. I, 134; Bell. Gild. 25; In Eutr. I, 92; II praef. 25; Nupt. Hon. 158, 325; Cons. Stil. II, 443; Bell. Poll. 460; Gigant. 24; Rapt. Pros. I, 50; purpura violae pro viola purpurea: Laus Ser. 91sq.: „si placido cessissent lumina somno, Purpura surgebat violae“; iubar pro sole: III cons. Hon. 45; pro diademate: In Ruf. II, 144; fulgur pro auro: IV cons. Hon. 587; sinus pro veste: Prob. et Olybr. cons. 89; In Eutr. II, 183, 447; Rapt. Pros. II, 95; III, 377; nodus pro loro in nodum coacto: Prob. et Olybr. cons. 89; carmina pro libris: In Eutr. I, 11. — Quam ad formam etiam refero, quod uterque sol pro iis exstat terris, quae sub sole oriente atque occidente sitae sunt: Bell. Gild. 48: „ad solem victrix utrumque cucurri“. Pari ratione oriens (sc. sol) invenitur pro terris ad solem orientem versus: In Ruf. II, 30; In Eutr. I, 17, 396; II, 131, 566; Fesc. II, 36; IV cons. Hon. 70; Cons. Stil. I, 8, 277; III, 81; VI cons. Hon. 92; occidens (sc. sol) pro terris ad solem occidentem versus: Fesc. II, 37. Regionem septemtrionalem significat Bootes: Cons. Stil. I, 123; Triones: III cons. Hon. 205; Cons. Stil. I, 217; Bell. Poll. 169; Scythici Triones: IV cons. Hon. 474sq.: „Gens, qua non Scythicos diffusior ulla Triones Incoluit“; Ursa: Bell. Poll. 135; Arctos: In Ruf. I, 325; Bell. Gild. 511; IV cons. Hon. 51; Cons. Stil. I, 246; III, 93; VI cons. Hon. 336, 455; Bell. Poll. 329; Rapt. Pros. II, 63. Saepe adiectivum quoque hoc e nomine derivatum sic usurpatur, qua de re conferas: In Eutr. I, 402sq.: „Ni tua . . . . . provida virtus Australem Arctois pensasset frugibus annum“ i. e. fruges terrarum meridianarum supplevisset frumento regionis septemtrionalis; II, 158, 262; III cons. Hon. 26; IV cons. Hon. 24sq.: „cui (sc. avo) post Arctoa frementi Classica Massylas adnexuit Africa laurus“ i. e. qui gentibus Rhenum accolentibus domitis victoriam de Afris reportavit; 628sq.: „fluitantia numquam Largius Arctoos pavere cadavera pisces“, ubi pisces Ponti Euxini intelleguntur;

Bell. Poll. 299. — Similiter venti sumuntur pro regione, in qua flant. Ita Boreas substituitur pro regione septemtrionali: IV cons. Hon. 29; Cons. Stil. I, 217; II, 285; Auster pro meridiana caeli parte: In Ruf. I, 264; II, 348; In Eutr. II, 261; Cons. Manl. Theod. 119; VI cons. Hon. 329; pro terra ad meridiem vergente: Bell. Gild. 1; IV cons. Hon. 29; Cons. Stil. I, 269; II, 285; III, 71, 345; Nil. 8; pro qua adhibetur Notus: In Ruf. II, 244; Bell. Gild. 459; Cons. Stil. I, 179; VI cons. Hon. 176; Rapt. Pros. III, 323. Terrae ad solem occidentem atque orientem sitae designantur per Zephyrum atque Eurum: IV cons. Hon. 648sq.: „quantusque feretur Idem per Zephyri metas Hymenaeus et Euri!“. Eadem notio subiecta est voci Eurus: Cons. Stil. II, 417; Phoen. 2; Epist. ad Ser. 15. Ac quoniam de ventis disputatur, hoc inseram loco, quae legis: Cons. Stil. II, 395sq.: „messesque vehat nunc umidus Auster, Nunc Aquilo“ i. e. fruges nunc classis ab umido Austro nunc classis ab Aquilone acta vehat.

Iam vero de ea agam forma, qua causa occurrit pro re effecta, cuius rei haec inveniuntur exempla. Rami exstant pro ramorum umbra: Rapt. Pros. II, 105; gelu pro glacie: In Eutr. II, 164; De cryst. IV, 2; pro nive: In Ruf. I, 335; Bell. Poll. 166sq.: „Frigida ter decies nudatum frondibus Haemum Tendit hiems vestire gelu“; vomer pro sulcis vomere ductis: Cons. Stil. I, 318; vulnera pro cicatricibus: Bell. Poll. 586. — Accedunt loci, quibus animalia vel instrumenta musica dicuntur pro cantu. Quo sensu reperiuntur volucres: Epith. Pall. et Cel. 105sq.: „Undique concurrunt volucres .... quas Larius audit“; bubo: In Eutr. II, 407; iuvencus: In Ruf. I, 289. Quod pertinet ad instrumenta musica, pro cantu usurpatur testudo: In Eutr. II, 257; chelys: Rapt. Pros. II praef. 8; lyra: In Ruf. I praef. 16; II praef. 14; Epith. Pall. et Cel. 23; citharae: Bell. Gild. 448; pecten: Cons. Stil. II, 172: „Nec velit Orpheo migrantes pectine silvas“; plectrum: VI cons. Hon. 124; tympana: In Eutr. I, 278; sistra: IV cons. Hon. 574; tubae: III cons. Hon. 75; Bell. Poll. 582; litui: Cons. Stil. I, 169; Laus Ser. 214; bucina: Bell. Gild. 447. Ab his non multum discrepat: Phoen. 4: „Umida roranti resonant cum limina curru“ i. e. currus strepitu. — Denique subiun-

genda mihi videntur exempla ad sidera spectantia. Sol vel soles adhibentur pro luce: Rapt. Pros. I, 120; II, 197 sq.: „Mox ubi pulsato senserunt (sc. equi Plutonis) verbera tergo Et solem didicere pati“; 261; pro ardore: Prob. et Olybr. cons. 218; In Ruf. II, 42; In Eutr. I, 260; II, 411; Nupt. Hon. 250; Cons. Stil. I, 250, 350; VI cons. Hon. 215; Epith. Pall. et Cel. 42; De cryst. III, 1; Rapt. Pros. I, 261; II, 105; pro radiis: IV cons. Hon. 340 sq.: „neu defensura calorem Aurea summoveant rapidos umbracula soles“; Sirius pro aestu per dies caniculares: De cryst. IV, 5: „Non illum (sc. umorem) constrinxit hiems, non Sirius axis“; Bootes pro hiemis frigore: Rapt. Pros. III, 225: „Verna nec iratum timeant virgulta Booten“. Porro sidus sumitur pro aere: Bell. Gild. 40; pro calore: Epith. Pall. et Cel. 120; pro frigore: VI cons. Hon. 445; ignis pro aestu: Apon. 92; pro luce: In Ruf. I, 9; III cons. Hon. praef. 11. Vis lucis inest etiam voci flamma: III cons. Hon. praef. 6: „Et recto flammas imperat (sc. pater) ore pati“.

Res effecta pro causa ponitur in his: vulnus vel vulnera pro telo: In Ruf. II, 65; pro ense: In Ruf. II, 401: „dictisque et vulnere torvus“; pro unguibus: Cons. Manl. Theod. 303; orbita pro rota: Rapt. Pros. II, 162; sulci pro vomere: Cons. Manl. Theod. 177; umbra pro silva: IV cons. Hon. 468 sq.: „Non Erymantheae iam copia sufficit umbrae Innumeris exusta rogis“; pro fronde: Phoen. 29. Nec aliter legitur verbum umbrare pro „coronare“: Bell. Gild. 444 sq.: „Umbratus dux ipse rosis et marcidus ibit Unguentis“; VI cons. Hon. 163. Eodem redit, quod classica inveniuntur pro tubis: In Ruf. I, 218; murmur pro fluctibus murmur edentibus: Rapt. Pros. I, 258.

Quibus allatis relinquitur, ut ea exempla commemorem, quorum tropus attributivus est. Quae sunt haec: In Ruf. I, 101 sq.: „Non Tartesiacis illum (sc. Rufinum) satiaret harenis Tempestas pretiosa Tagi“; 196 sq.: „Teneas utrumque licebit Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes, ... Numquam dives eris“; II, 57 sqq.: „Sed propius lucere faces et rauca sonare Cornua . . . . Aspicit“; 256: „Et trepidas maesto rimatur (sc. leo) murmure silvas“; 414 sq.: „Hic iecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas Pulmonis latebras; Bell. Gild. 148 sq.: „medius flagrantis Olympi Me quoque limes

agat"; 178 sq.: „incertaque pocula pallens Haurit"; 401: „infandas excusat coniuge mensas"; In Eutr. I, 278: „Rauca Celaenaeos ad tympana disce furores"; II, 414: „Sueverat et duris haurire bipennibus Hebrum"; Nupt. Hon. praef. 7: „Peneus gelidos mutaret nectare fontes"; Nupt. Hon. 69 sq.: „Labuntur gemini fontes, hic dulcis, amarus Alter"; III cons. Hon. praef. 5: „Protinus implumes convertit ad aethera nidos"; III cons. Hon. 33: „Rex o stellantis Olympi"; IV cons. Hon. 27: „Qui medios Libyae sub casside pertulit aestus"; 437 sq.: „madidaque cadente Pleiade Gaetulas intrabit navita Syrtes"; Cons. Manl. Theod. 134: „scriptaeque notas confundit harenae"; 251 sq.: „Vel quis non .... Deserat Orpheos blanda testudine cantus?"; Cons. Stil. I, 337 sq.: „Aut in harenosos aestus zonamque rubentem Tenderet"; III, 277: „steriles iuvat ire per aestus"; VI cons. Hon. 455 sq.: „gelida cum pulcher ab Arcto Adventat Stilicho; Bell. Poll. 124: „Sublimi certe Curium canit ore vetustas"; Epith. Pall. et Cel. 99 sq.: „at illa Fontibus abluitur gelidis"; 109 sq.: „raucae stagna Padusae Diffugiens nudavit olor"; Apon. 29 sq.: „sed maior in altum Intrat (sc. lacus) et arcanae rupis inane subit"; 63 sq.: „Acrior interius, rauci cum murmure saxi, Spumeus eliso pellitur amne vapor"; 98: „Pocula nec tristi gramine mixta bibunt"; Magn. 14 sq.: „et quidquid Eois Indus litoribus rubra scrutatur in alga"; Epist. ad Ser. 21 sq.: „Ipsam praeterea dominam stellantis Olympi Ad nati thalamos ausa rogare parens"; Rapt. Pros. II, 82: „Quidquid odoratus longe blanditur Hydaspes"; III, 341 sq.: „inmaniaque ossa Serpentum passim cumulis exanguibus albent".

§ 7. Quod nunc tractaturus sum metonymiae genus versatur in rebus, quarum altera sola sensibus percipitur, cum altera a sensibus sit sevocata. Cuius formae duae efficiuntur partes eo, quod et res, quae sensibus est subiecta, id declarare potest, quod ab iis remotius est et hoc illam. Quarum ut ad priorem transgrediar, corporis partes, quae sedes sunt quinque sensuum, pro horum vi atque actione exstant. Sic oculi ponuntur pro aspectu: In Ruf. II, 521; In Eutr. II, 362; III cons.

Hon. praef. 11; III cons. Hon. 135; VI cons. Hon. 439; Bell. Poll. 102; De piis fratr. 19; aures vel auris pro audiendi sensu: In Ruf. II praef. 20; In Ruf. II, 196; Bell. Gild. 426; In Eutr. I, 372; III cons. Hon. praef. 17; Cons. Manl. Theod. praef. 9; Cons. Manl. Theod. 20; Cons. Stil. I, 113; II, 47, 304; III, 338; VI cons. Hon. 368; Bell. Poll. praef. 17; Bell. Poll. 206, 412, 625; De mul. Gall. 8; Epith. Pall. et Cel. 25; naris pro odoratu: Cons. Stil. II, 215; III, 299. Pari ratione denotantur ea, quae animi sunt aut magis ad ipsum corpus attinent, per alias quoque corporis partes, in quibus quasi collocata putabantur. Huc spectat, quod saepissime verba pectus, cor, praecordia sumuntur pro animo. Quo sensu legitur pectus vel pectora: In Ruf. I, 181; II, 205; In Eutr. I, 327, 359; II, 46, 180; Fesc. IV, 16; Nupt. Hon. 317; III cons. Hon. 74; IV cons. Hon. 501; Cons. Manl. Theod. praef. 6; Cons. Manl. Theod. 81, 91, 214; Cons. Stil. II, 13, 102, 242; III, 9; VI cons. Hon. praef. 2; VI cons. Hon. 147, 233, 550; Bell. Poll. 131, 315, 475; Magn. 48; Rapt. Pros. I, 5, 226; III, 104, 262; cor vel corda: In Ruf. I, 43, 223; II praef. 14; II, 284, 327; Bell. Gild. 132; In Eutr. II, 116, 233; Fesc. I, 26; Cons. Stil. II, 31; Bell. Poll. 212; Epith. Pall. et Cel. 49; Rapt. Pros. I praef. 10; praecordia: Prob. et Olybr. cons. 66; In Ruf. I, 243; Bell. Poll. 372; Magn. 48; Rapt. Pros. I, 6. Praeterea pro animo adhibetur frons: Nupt. Hon. 316; Cons. Manl. Theod. 245; Cons. Stil. III, 218. Sed verbum cor, de quo modo egimus, aliam quoque vim atque animi recipit; designat enim prudentiam et cogitationem his locis: Prob. et Olybr. cons. 154 sq.: „Sed gravibus curis animum sortita senilem Ignea longaevo frenatur corde iuventus"; In Eutr. II, 48; VI cons. Hon. 581; Rapt. Pros. II, 12. Deinde vultus dicitur pro ira: Rapt. Pros. III, 262; Magn. 45; pro superbia: Cons. Stil. I, 362; lacerti pro vi: Bell. Gild. 460; Bell. Poll. 438; quo eodem modo occurrunt manus: Bell. Gild. 125; Cons. Stil. I, 152; III, 140; VI cons. Hon. 352; Bell. Poll. 490; Rapt. Pros. II, 186; III, 303; dextra: IV cons. Hon. 522. Digiti substituuntur pro digitorum arte: IV cons. Hon. 593; alae pro velocitate: Cons. Manl. Theod. praef. 13; venter pro edendi cupiditate: In Eutr. II, 329.

Quomodo corporis partes instrumenti vice fungantur, haec demonstrent exempla: os adhibetur pro verbis: In Ruf. I, 356; De piis fratr. 10; pro eloquentia: Epist. ad Olybr. 6; lingua vel linguae pro oratione vel sermone vel verbis: In Eutr. II, 380; IV cons. Hon. 516; Cons. Manl. Theod. 21; Cons. Stil. I, 152; VI cons. Hon. 69; Bell. Poll. 522; De mul. Gall. 10; In Aleth. quaest. 8; pro loquacitate: In Ruf. II, 514; pro linguae intemperantia: In Curet. I, 10; osculum pro basio: In Ruf. II, 443; In Eutr. II, 67, 188; Fesc. I, 24; IV, 13; Nupt. Hon. 58, 116; IV cons. Hon. 168, 370; Cons. Stil. I, 120; II, 196; Bell. Poll. 619; Epith. Pall. et Cel. 131; Magn. 50; Laus Ser. 99, 216; De cryst. VI, 6; Rapt. Pros. I, 213; III, 159. Insolenter ponuntur iugula vel iugulum pro caede: In Ruf. I, 82 sq.: „Haec (sc. Megaera) Agamemnonios inter bacchata Penates Alternis lusit iugulis“ i. e. ‚fecit, ut Clytaemnestra interficeret Agamemnonem ipsa rursus ab Oreste interficeretur‘; In Eutr. I, 20; Cons. Stil. I, 97; Bell. Poll. 602; Depr. ad Hadr. 22. Multiplex notio subiecta est voci manus, quae exstat pro motu: Cons. Manl. Theod. 313; pro contactu: In Eutr. II, 14; pro ictu: VI cons. Hon. 216; pro caede: In Ruf. II, 248; pro pugna: IV cons. Hon. 71; pro virtute: Cons. Stil. I, 194; pro actione: Cons. Stil. I, 302; Bell. Poll. 268; pro cultu: Nupt. Hon. 60 sq.: „manibus quae (sc. rura) subdita nullis Perpetuum florent“. Adiungo: In Eutr. II, 490 sqq.: „Namque ferunt geminos uno de semine fratres Iapetionidas generis primordia nostri Dissimili finxisse manu“ i. e. dissimili ratione. Similiter dextra dicitur pro motu: Bell. Gild. 133; pro virtute: Bell. Poll. 41; digiti pro motu: In Eutr. II, 362. Viscera inveniuntur pro partu: In Eutr. I, 46; pedes pro cursu: Cons. Stil. III, 299. A quibus non segregandum esse puto, quod pro genere usurpatur semen: Prob. et Olybr. cons. 142; Epith. Pall. et Cel. 53; sanguis: Bell. Gild. 341; IV cons. Hon. 220; VI cons. Hon. 419, 434, 552; Epith. Pall. et Cel. 61; Laus Ser. 36; pro caede cruor: In Eutr. II, 478: „Rarus apud Medos regum cruor“; IV cons. Hon. 363; Laus Ser. 157; vulnera: In Eutr. II, 482; cinis pro morte: Phoen. 103.

Tum in hoc genere versatur ea forma, qua aetas et variae affectiones corporis aut animi per effectus quos-

dam sub aspectum cadentes illustrantur, ut: VI cons. Hon. 79sq.: „Dilectaeque urbis tenero conceptus ab ungue Tecum crevit amor“ i. e. a pueritia. — Laborem significat sudor: Bell. Gild. 334; In Eutr. II, 395; IV cons. Hon. 343; VI cons. Hon. 354; Bell. Poll. 537; De apro et leone 4; Rapt. Pros. I, 240. Item pro „laborare“ reperiuntur verba sudare: Bell. Gild. 94sq.: „in Bocchi regnum sudavit uterque Scipio“; In Eutr. I, 407; Nupt. Hon. 111; III cons. Hon. 146; IV cons. Hon. 525, 655; Cons. Stil. III, 94; Laus Ser. 62; De equo 12; Rapt. Pros. II, 16; desudare: In Eutr. II, 602; Cons. Manl. Theod. 11; Bell. Poll. 280; assudare: Cons. Stil. III, 364. Porro livor exstat pro invidia: In Eutr. I, 265; Fesc. III, 10; Cons. Stil. III, 38; Depr. ad Hadr. 32; Laus Ser. 211; Rapt. Pros. III, 290. Eadem significatione substituuntur verba livescere: Cons. Stil. III, 40; Rapt. Pros. III, 27; livere: In Ruf. I, 138. Pro „timere“ legitur pallescere: IV cons. Hon. 359; Cons. Stil. II, 344; pallere: Bell. Gild. 178, 342; Cons. Stil. II, 120; III, 100. Erubescere sumitur pro „pudere“: Rapt. Pros. I, 67sqq.: „Vix ille pepercit Erubuitque preces, animusque relanguit atrox Quamvis indocilis flecti“. Adde, quod lacrimae ponuntur pro calamitate: In Ruf. II, 91; pro querelis: In Eutr. II, 144, 592; Rapt. Pros. III, 419sq.: „Cur autem ascribimus illum His lacrimis?“

Intendamus animos nunc ad exempla, in quibus locus appellatur pro iis, quae ibi gerebantur vel geruntur. Thracia legitur pro victoriis in Thracia partis: Cons. Stil. I, 21sq.: „Aut gelidam Thracen decertatosque labores Hebro teste canam?“. Eodem modo exstat Sicania: In Eutr. I, 456; Pollentia: VI cons. Hon. 202. Cannae et Trebia reperiuntur pro clade apud Cannas Trebiamque accepta: Cons. Stil. III, 144sq.: „territa (sc. Roma) nullo Vulnere post Cannas maior Trebiamque fremebat“. Non aliter usurpatur Trebia: Bell. Poll. 387; Pollentia: VI cons. Hon. 281. Simois sumitur pro pugnis apud hoc flumen commissis: Nupt. Hon. praef. 20; Libya pro bello Libyaco: VI cons. Hon. 429; Alpes pro expeditione in Alpes facta: Bell. Gild. 230; Thebae pro excidio huius urbis: In Eutr. I, 291. Deinde campus ponitur pro proelio vel pugna: Bell. Gild. 386; In Eutr. I, 272; III cons.

Hon. 75; VI cons. Hon. 247; Bell. Poll. 139, 572; pro certaminibus equestribus: IV cons. Hon. 542; campus (sc. Martius) pro comitiis: VI cons. Hon. 5; castra pro pugnis vel bellis: Bell. Gild. 450; Cons. Manl. Theod. praef. 5; Cons. Stil. III praef. 11; hibernacula pro in hibernaculis considendo: IV cons. Hon. 322. Simili sensu adhibentur casae: Bell. Poll. 363; cubilia: Bell. Poll. 359. Pons invenitur pro pontis defensione: In Eutr. I, 445; pontus pro navigando: IV cons. Hon. 421; freta pro natando: Nupt. Hon. 181. Nilus pro Nili inundatione: Prob. et Olybr. cons. 169 sqq.: „Ante dabunt hiemes Nilum . . . Quam Probus a nostro possit discedere sensu." Hunc versum alii alio modo explicant. Barthius putat hoc loco inversam rationem a poeta esse adhibitam et dicendum fuisse: ‚ante Nilus dabit hiemes'. Gesnerus hiemes pro regione septemtrionali positas esse censet, ut versus sit intellegendus ita: ‚Nilus non a meridionali plaga fluet, sed ab opposita'. Denique Koenigius Nilum inundationem Nili significare existimat. Quarum interpretationum Koenigii maxima simplicitate atque elegantia excellit, qua de causa eam sequor. Quibus accedat: In Eutr. I, 416: „nostros corrupit Parthia mores" i. e. luxuria Parthiae; In Ruf. II, 78 sq.: „ne qua de parte relinquat Barbariem, revocat fulvas in pectora pelles" i. e. mores barbarorum; In Eutr. II, 203: „totum qui degener exuit Histrum" i. e. mores populorum Histrum accolentium; Epist. ad Ser. 19 sq.: „Tunc opibus totoque Heliconis sedula regno Ornabat propriam Calliopea nurum", ubi immortalitas memoriaque perennis meritorum intellegitur. Caelum substituitur pro in caelo habitando: Rapt. Pros. II, 262; rus pro rusticatione: Cons. Manl. Theod. 175. Sub eandem rationem haec quoque cadunt: forum pro eloquentia: Epist. ad Gennad. 2; pro iurisdictione: In Ruf. II, 495; In Eutr. I, 234; pro qua usurpatur tribunal: In Eutr. II, 587; VI cons. Hon. 338; Academia pro Academicorum doctrina: Cons. Manl. Theod. 93 sq.: „nobiliore magistro In Latium spretis Academia migrat Athenis"; atria Cleantheae turbae pro Stoicorum disciplina: Cons. Manl. Theod. 88. Pro spectaculis exstant theatra: In Eutr. II, 86; scaena: In Eutr. I, 291 sq.: „Thebas ac funera Troiae Tristis Erechthei deplorat scena theatri" i. e. excidium Thebarum atque interitus Troiae

in tragoediis tractantur, quae in theatro Atheniensi agebantur. Palaestrae ponuntur pro luctatione: Laus Ser. 171; domus pro negotiis domesticis: Rapt. Pros. III, 202; solium pro regno: Bell. Gild. 409; IV cons. Hon. 214; VI cons. Hon. 84; mensae vel mensa pro convivio: In Eutr. II, 459; Cons. Stil. II, 153; Bell. Poll. 28; tori vel torus pro concubitu: Magn. 32; Rapt. Pros. I, 35; pro quo legitur lectus: In Eutr. I, 67; cubile pro cubili administrando: In Eutr. I, 419. Pro sepultura sumuntur sepulcra: Phoen. 50; rogi: Bell. Gild. 406 sq.: „Si Pandionias planctu traxere phalanges Inachides belloque rogos meruere maritis"; rogus occurrit pro conflagratione: Phoen. 50.

Ex eis, qui sequuntur, locis instrumenti ratio facile intellegitur. Ita arma indicant bellum: In Ruf. I praef. 18; II, 213; Bell. Gild. 5; In Eutr. II, 91, 366, 598; III cons. Hon. 5; IV cons. Hon. 413; Cons. Stil. II, 85; III, 136, 220, 284; Bell. Poll. 431; Epith. Pall. et Cel. 71; Laus Ser. 59, 179, 213; Rapt. Pros. II, 207; victoriam: Cons. Stil. I, 370; VI cons. Hon. 123. Pro bello vel pugna exstant etiam tela: In Ruf. I, 262; In Eutr. II, 308; Cons. Stil. II, 253; ferrum: Epith. Pall. et Cel. 77; quod ponitur pro castratione: In Eutr. I, 224, 342. Caestus legitur pro pugillatu: Prob. et Olybr. cons. 238; mucro pro ictu mucronis: In Eutr. I, 47; pro nece: In Ruf. I, 235 sq.: „cruciatus, vincla, tenebras Dilato mucrone parat"; Cons. Manl. Theod. 229; pro clade: In Eutr. II, 573; enses vel ensis pro ictibus: Bell. Gild. 434; pro nece: In Ruf. I, 236; quam designant gladii: In Ruf. I, 244; II, 146. Vide praeterea: IV cons. Hon. 525: „cum Threicia primum sudaret in hasta" i. e. hastam coniciendo; III cons. Hon. 136 sq.: „Pars nobilis arcu, Pars longe iaculis, pars comminus horrida contis" i. e. alii excellunt sagittas mittendo, alii metuendi sunt eminus iaculando, alii contis comminus feriendo. Eadem vis conspicitur in verbis arcus: Epith. Pall. et Cel. 139; Rapt. Pros. I, 134; iacula: IV cons. Hon. 527; atque cuspis: III cons. Hon. 61; fulmina: Rapt. Pros. I, 105. Clipeus sumitur pro clipeo pugnando: Nupt. Hon. 311; Rapt. Pros. I, 134; pro clipeo se defendendo: VI cons. Hon. 486; ignis pro manu combusta: In Eutr. I, 445: „Hoc meruit vel ponte Cocles vel Mucius igne?"; pro qua adhibetur flamma: IV cons. Hon. 405 sq.: „Vel solus quid fortis

agat, te ponte soluto Oppositus Cocles, Muci te flamma docebit". Aratrum vel aratra dicuntur pro arandi labore: In Ruf. I, 202; In Eutr. II, 194; Cons. Manl. Theod. 9. Pari significatione exstant rastri: In Eutr. II, 196; ligones: Rapt. Pros. I, 197. Tonsae reperiuntur pro remigando: Cons. Stil. III, 364; tela pro texendo: In Eutr. II, 371; Rapt. Pros. III, 204. Neque non huc pertinet: In Ruf. II, 285 sqq.: „quae non mirabitur aetas . . . mentisque calorem Non sermone viae, non inter pocula rumpi?" i. e. in potando, quod idem occurrit: Cons. Stil. II, 163. Eodem sensu legitur inter vina: In Eutr. II, 434 sq.: „Dum gravibus marcent epulis hostique catenas Inter vina crepant . . ."; Bell. Poll. 368; quibus est simile: Bell. Gild. 175 sq.: „Dapibus crudelis in ipsis Emicat ad nutum stricto mucrone minister" i. e. in edendo. Dona leguntur pro donando: Cons. Stil. III, 234; suffragia pro creatione vel electione: In Eutr. I, 438; VI cons. Hon. 10; Laus Ser. 209. His subicere mihi liceat exemplis: VI cons. Hon. 475 sq.: „Quorum (sc. iugalium), si qua fides augentibus omnia Musis, Impetus excessit Zephyros" i. e. impetum Zephyrorum; Rapt. Pros. III, 44 sq.: „Haecine vita iuvat silvestribus abdita lustris, Indiscreta feris?", ubi vivendi ratio ferarum spectatur.

Quam ad speciem prope accedit ea, qua signum adhibetur ad dignitatem vel rem significandam, cuius proprium est, quod apparet ex his: pro dignitate imperatoria occurrunt diadema vel diademata: Nupt. Hon. 259; Cons. Stil. II, 360; purpura: IV cons. Hon. 47; Cons. Stil. II, 238; Epith. Pall. et Cel. 78; ostrum: Nupt. Hon. 340; IV cons. Hon. 125. Sceptrum vel sceptra substituuntur pro imperio: In Ruf. II, 163, 295, 383, 442; Bell. Gild. 97; In Eutr. I, 324, 428; Nupt. Hon. 264; III cons. Hon. 67; IV cons. Hon. 42, 176; Cons. Stil. II, 52; VI cons. Hon. 98, 642; Epith. Pall. et Cel. 75; Rapt. Pros. II, 279; pro quo reperiuntur signa: Nupt. Hon. 194. Varia ratione etiam consulatus designatur atque quidem pro hac dignitate ponuntur trabeae: In Ruf. I, 249; Bell. Gild. 97; In Eutr. I, 119, 370, 464; II praef. 10; II, 123; IV cons. Hon. 640; Cons. Manl. Theod. 14; Cons. Stil. II, 218, 258, 322, 407; III, 87; VI cons. Hon. 4. Subiungo: III cons. Hon. 5: „Succedant armis trabeae", quae verba Koenigius sic explicat: ‚respublica armis

defensa nunc consulari auctoritate regatur'. Ceterum hunc locum notissimum illud Ciceronis:[1]) „Cedant arma togae, concedat laurea laudi" esse imitatum, facile quivis perspiciet. Deinde inveniuntur pro consulatu togae vel toga: In Eutr. I, 463; IV cons. Hon. 654; Cons. Stil. II, 381; vestitus: In Eutr. I, 490 sqq.: „neu tradita libris Omina vestitusque meos, quibus omne, quod ambit Oceanus, domui, tanta caligine mergi Calcarique sinas"; curules (sc. sellae) vel curulis (sc. sella): In Eutr. I, 26; Cons. Manl. Theod. 260, 266; Cons. Stil. II, 264, 279; fasces vel fascis: Prob. et Olybr. cons. 15; In Eutr. I, 21; II, 142; III cons. Hon. 1; IV cons. Hon. 4, 640; Cons. Manl. Theod. 280, 337; Cons. Stil. II, 233, 324, 385, 413; III, 7, 90; Bell. Poll. praef. 5; Epith. Pall. et Cel. 59; Epist. ad Prob. 15; qui usurpantur pro praefectura: Epist. ad Gennad. 4; pro ullo honorum genere: Cons. Manl. Theod. 2; pro imperio Romano: Bell. Gild. 20; VI cons. Hon. 337: „Cum fasces cinxere Hypanin" i. e. cum Scythae Sarmataeque, qui Hypanin flumen accolunt, sub imperium populi Romani redacti sunt. Secures sumuntur pro consulatu: In Eutr. II, 130; IV cons. Hon. 656; Cons. Manl. Theod. 338; Cons. Stil. I, 9; II, 312; pro munere: Cons. Stil. III, 101; pro imperio Romano: Bell. Gild. 32; sedes pro dignitate: Prob. et Olybr. cons. 20; Cons. Manl. Theod. 144: „Adde quod haec multis potuit contingere sedes", ubi munus Praefecti Praetorio respicitur, quod denotant Ausonii currus: In Ruf. II, 82. Porro Cyri tiara exstat pro potentia Cyri: In Ruf. I, 198; arma pro regno: In Eutr. I, 322 sq.: „reginarumque sub armis Barbariae pars magna iacet"; pro honore militari: In Eutr. I, 236; cingula pro honoribus militaribus: In Eutr. II, 320 sq.: „militiam nullam nec prima superbus Cingula dignari"; Depr. ad Hadr. 51; tuba pro belli denuntiatione: Bell. Gild. 380; tubae vel tuba pro pugna vel bello: In Ruf. I, 333; Cons. Stil. I, 192; III praef. 12; Rapt. Pros. I, 65; II, 141; pro quo adhibentur classica: In Ruf. II, 118; III cons. Hon. 98; Cons. Stil. I, 189; Laus Ser. 218. Litui dicuntur pro bello: Cons. Stil. III praef. 13; Bell. Poll. 130; pro re militari: Fesc. III, 3; Cons. Manl. Theod. 181; litui navales pro pugnis navalibus: Bell. Gild. 80. Victoriam significant spolia: Bell. Poll. 624;

[1]) De off. I, 22, 77.

Epith. Pall. et Cel. 71; tropaea vel tropaeum: In Ruf. I, 345; Bell. Gild. 367; III cons. Hon. 57; IV cons. Hon. 45; Cons. Stil. I, 81, 247; VI cons. Hon. 15, 120, 394; Bell. Poll. 34; Laus Ser. 43. Eandem notionem adorea quoque recipit: Cons. Stil. I, 384: „Haec omnes veterum revocavit adorea lauros", cum antiquis temporibus militibus, qui magna fortitudine praestiterant, post pugnam certus frumenti modus dono daretur. Tum pro victoria occurrit palma: Bell. Gild. 238; Cons. Manl. Theod. 284; laurus: Cons. Stil. I, 384; III, 16, 218; Laus Ser. 44; quae reperiuntur pro gloria belli: VI cons. Hon. 120. Item laurea substituitur pro victoria: Bell. Gild. 13; In Eutr. I, 503; IV cons. Hon. 622; pro gloria belli: VI cons. Hon. 384. Coronae leguntur pro victoriis: Cons. Manl. Theod. 289; pro honoribus: Laus Ser. 189; titulus vel tituli pro honore: Cons. Stil. II, 288, 317, 318; pro gloria: VI cons. Hon. 353; Bell. Poll. 29; Laus Ser. 33. Atque luculentum signi exemplum habemus: In Eutr. I, 298 sq.: „Exempla creantur Quae socci superent risus luctusque cothurni", ubi soccus, calceus comoedorum, pro ipsa comoedia et cothurnus, calceus tragoedorum, pro ipsa tragoedia ponitur. Ut ad cetera huius formae exempla transeam, mensa exstat pro hospitio: In Ruf. I, 229; taedae vel taeda pro nuptiis vel matrimonio: In Ruf. I, 83; Fesc. III, 4; Nupt. Hon. 28, 229, 339; Epist. ad Ser. 1; Rapt. Pros. II, 279. Pari vi inveniuntur faces: Bell. Gild. 309; torus vel tori: Prob. et Olybr. cons. 202; In Eutr. II praef. 43; Fesc. II, 3; Nupt. Hon. 122, 229; III cons. Hon. 116; IV cons. Hon. 645; Cons. Stil. II, 76; VI cons. Hon. 524; Epith. Pall. et Cel. 51; Laus Ser. 161; Epist. ad Ser. 30; Rapt. Pros. I, 130; II, 141; cubile: Epith. Pall. et Cel. 32; thalami vel thalamus: In Ruf. II, 96; Nupt. Hon. 304; III cons. Hon. 154; Cons. Stil. I, 5, 73; III, 53, 262; Epith. Pall. et Cel. praef. 1 sq.: „Carmina per thalamum quamvis festina negare Nec volui genero nec potui socero", quo loco audacter tempus designatur, ut hic sensus oriatur: ‚dum nuptiae celebrantur';[1]) Epith. Pall. et Cel. 32; Laus Ser. 82, 119; Epist. ad Ser. 22; Rapt. Pros. I, 103; III, 279. Cunabula dicuntur pro educatione: Nupt. Hon. 303; Laus Ser. 86; pro genere: Cons. Stil. II, 123: „meritum, non, quae cunabula,

[1]) Cf. Wannowsky, p. 26.

quaeris"; sidus pro fato: In Eutr. II, 424. Eodem redit: In Eutr. I, 498 sq.: „Ducant pensa viri mutatoque ordine rerum Vivat Amazonio confusa licentia sistro" i. e. Amazonio ritu; IV cons. Hon. 497 sq.: „non hasta refixas Vendit opes", ubi auctio publica demonstratur, cuius instituendae signum erat hasta posita; Bell. Gild. 150 sq.: „Pulsis dominentur aristis Dipsades" i. e. expulsa cultura. Denique pro morte sumitur rogus: Rapt. Pros. II, 355 sq.: „Mors nulla vagatur In terris, nullique rogum planxere parentes" i. e. mortem liberorum; sepulcra: Gigant. 59.

His adiciantur exempla, in quibus temporis notiones declarantur. Quo ex genere sunt haec: lux dicitur pro die: Prob. et Olybr. cons. 143; In Ruf. I, 6; II, 313; In Eutr. II, 85; Nupt. Hon. praef. 15; Bell. Poll. 600; Rapt. Pros. III, 232; aristae pro aestatibus vel potius annis: IV cons. Hon. 372 sq.: „Necdum decimas emensus aristas Aggrederis metuenda viris". Simili modo anni significantur: Bell. Poll. 147 sq.: „Et prope ter senas Itali per graminis herbas Massylus Poeno sonipes vastante cucurrit", ubi ex herbis intelleguntur. Aestus exstat pro aestate: Rapt. Pros. II, 106; frigora pro hieme: Bell. Poll. 349; brumale sidus pro hieme: Bell. Poll. 322; certum sidus pro certo tempore: In Eutr. II, 197; lustrum pro quinquennio: In Eutr. I, 103; VI cons. Hon. 392; Bell. Poll. 146; pro unoquoque temporis intervallo: Prob. et Olybr. cons. 33, 275; Phoen. 31.

Postremo eos ponam locos, quos repperi metonymiae attributivae. Saepius enim adiectiva, quae rebus a sensibus sevocatis sunt propria, cum rebus coniunguntur, quae sensibus percipiuntur. Quam ad formam pertinent haec: Prob. et Olybr. cons. 154 sq.: „Sed gravibus curis animum sortita senilem Ignea longaevo frenatur corde iuventus"; In Ruf. I, 135 sq.: „Longaevum mentita (sc. dea) senem rugisque severas Persulcata genas"; 224 sq.: „Si semel e tantis poscenti quisque negasset, Effera praetumido quatiebat corda furore"; 355 sq.: „maestam deprendit in arce Iustitiam diroque prior sic ore lacessit"; II, 283 sq.: „Nec quisquam tanta de pube repertus, Proderet incautis qui corda minantia verbis"; Bell. Gild. 425 sq.: „stat circumfusa iuventus Nixa hastis pronasque ferox accomodat aures"; In Eutr. I, 291 sq.:

„Thebas ac funera Troiae Tristis Erechthei deplorat scena theatri“; 502 sq.: „Piratica Magnum Erigit, inlustrat servilis laurea Crassum“; II, 129 sq.: „quo se pulsata referret Maiestas Latii deformataeque secures“; 459: „Et matutinis pellebas frigora mensis“; 490 sqq.: „Namque ferunt geminos uno de semine fratres Iapetionidas generis primordia nostri Dissimili finxisse manu“; IV cons. Hon. 313 sqq.: „quem dira Neronis Funera, quem rupes Caprearum taetra latebit Incesto possessa seni?“; Cons. Manl. Theod. 20: „attonitas sermo qui duceret aures“; 175 sq.: „infectum longi rubigine ruris Ad tua signa vocas“; 245 sq.: „Frons privata manet nec se meruisse fatetur Quae crevisse putat“; Cons. Stil. II, 214 sq.: „Insidias retegunt et in ipsa cubilia fraudum Ducunt ceu tenera venantem nare Molossi“; 379 sqq.: „ut tanti Curiis miracula voti Fabriciisque feram, famae qui vulnere nuper Calcatam flevere togam“; 412 sq.: „Meriti pridem clarique vetustis Fascibus ad socii properant et vindicis annum“; 436 sqq.: „Ille recenset . . . quid velox semita Lunae Pigraque Saturni (sc. prospiciat mundo)“; III praef. 9 sq.: „Seu Tyrias certa fracturus cuspide vires Inferret Libyco signa tremenda mari“; III, 218 sq.: „Cives nec fronte superba Despicit“; VI cons. Hon. 157 sq.: „Iam desine maesta Fronte queri“; 247: „Ut male temptato totiens se credere campo Comminus auderet“; 368: „Nec duras tantis precibus permovimus aures?“; Bell. Poll. praef. 17 sq.: „Nam mihi conciliat gratas impensius aures Vel meritum belli vel Stilichonis amor“; Bell. Poll. 314 sq.: „His dictis pavidi firmavit inertia vulgi Pectora“; 372: „Conscia servilis praecordia concutit horror“; 375 sq.: „Frons laeta parum, non tristior aequo Nec deiecta malis, mixta sed nobilis ira“; De mul. Gall. 8: „Barbaricos docili concipit aure sonos“; In Aleth. quaest. 8: „Liberior iusto nec mihi lingua fuit“; Rapt. Pros. III, 261 sq.: „mox lumina torquens Vultu ad caelicolas furiato pectore fertur“.

§ 8. Nunc progrediamur ad eam formam, qua id, quod cerni tangive non potest rem significat sensibus subiectam. Hac in forma primum agendum est de iis exemplis, in quibus actio ponitur pro rebus, qua sunt effectae.

Qua de re conferas haec: labor invenitur pro re labore confecta: Laus Ser. 146; In sphaer. Arch. 4; Rapt. Pros. I, 271; III, 157, 204; pro rebus labore quaesitis: In Eutr. I, 220 sq.: „In mercem veniunt Cilices, Iudaea, Sophone Romanusque labor Pompeianique triumphi“ i. e. Veneunt Cilicia, Iudaea, Sophone — pars Armeniae inter Taurum et Antitaurum sita —, quae terrae a Romanis magno labore subactae sunt, quasque Pompeius a praedonibus maritimis liberavit. Opus exstat pro eo, quod opere factum est: In Eutr. I, 166; II, 374; IV cons. Hon. 284, 591; Cons. Stil. II, 341; In sphaer. Arch. 8; Rapt. Pros. I, 241; artes pro opere artificioso: Rapt. Pros. III, 156. Eiusdem generis est: Cons. Stil. III, 231 sq.: „tua copia vincit Fontem Hermi tactumque Midae pluviamque Tonantis“, ubi voce tactus insolenter aurum dicitur, in quod omnia, quae Midas tetigerat, mutata sunt. Praeterea fetus leguntur pro iis, quae bestiae procreant: III cons. Hon. praef. 1; Rapt. Pros. III, 142; pro bestiis ipsis: Cons. Manl. Theod. 296; Cons. Stil. III, 356; anhelitus pro vapore anhelitu excitato: Rapt. Pros. II, 192; fletus pro lacrimis: In Eutr. II, 375; Rapt. Pros. I, 268; III, 442; messes vel messis pro frugibus messis vel metendis: Prob. et Olybr. cons. 273; Bell. Gild. 57; In Eutr. I, 409; IV cons. Hon. 417; Cons. Stil. I, 165; II, 395; III, 94; VI cons. Hon. 389; Laus Ser. 60; Rapt. Pros. I, 200; pro herbis et fruticibus: Nupt. Hon. 93; Cons. Stil. I, 58. Addo, quod meatus sumitur pro via: In Ruf. I, 271; Bell. Gild. 223; In Eutr. I, 14; IV cons. Hon. 483; Cons. Manl. Theod. 104; Bell. Poll. 336; Apon. 55; Rapt. Pros. II, 184; tractus pro regione diffusa: In Ruf. II, 33, 348; III cons. Hon. 168; IV cons. Hon. 73; Cons. Manl. Theod. 179; VI cons. Hon. 290; pro sede: Rapt. Pros. III, 9 sqq.: „caelestibus ordine sedes Prima datur; tractum proceres tenuere secundum Aequorei“; recessus pro locis reconditis: Prob. et Olybr. cons. 35; In Ruf: I, 379; II, 242, 524; Bell. Gild. 524; Nupt. Hon. 280; IV cons. Hon. 275; Cons. Stil. III, 157, 307; VI cons. Hon. 29; Est in conspectu longe locus 1; Ad Aetern. 2; Rapt. Pros. I, 120; III, 82, 212.

Cum hac specie arte cohaeret ea, qua causa usurpatur pro re effecta. Sic pro sanguine adhibetur caedes: Bell. Gild. 181; In Eutr. II, 464; Cons. Manl. Theod. 297; strages:

In Eutr. II, 111. Ab his non multum discrepat: Bell. Gild. 359 sq.: „pecudum strages passimque iuvenci Semineces et adhuc infecta mapalia tabo“, quo loco tabum cruorem significat, quod idem habes: III cons. Hon. 82. Ruina substituitur pro fundamento, quod ruere videtur: Apon. 46 sqq.: „Et levis exili cortice terra natat Calcantumque oneri numquam cessura virorum Sustentat trepidum, fida ruina, pedem“; naufragium pro nave naufragio deleta: VI cons. Hon. 317; bellum pro strepitu belli: III cons. Hon. 64; Cons. Stil. II, 149. Quibus accedunt haec exempla: vox vel voces pro iis, quae voce eduntur: Prob. et Olybr. cons. 176, 234; In Ruf. I, 44; II, 107, 170, 173, 259, 296, 384, 490; Bell. Gild. 12, 202, 235, 485; In Eutr. II, 254, 310, 362, 390; Fesc. IV, 35, 36; Nupt. Hon. 172, 320; III cons. Hon. 134; IV cons. Hon. 90, 174, 353; Cons. Manl. Theod. 27, 52, 217, 317: Cons. Stil. I, 162; II, 230; III, 55, 133, 202, 340; VI cons. Hon. 265, 510; Bell. Poll. 452, 520, 545, 617; De mul. Gall. 4, 19; In Aleth. quaest. 9; Laus Ser. 51; Epist. ad Ser. 47; Rapt. Pros. II praef. 24; II, 233, 276; III, 113, 151, 257, 292; pudor pro rubore, qui e pudore nascitur: Nupt. Hon. 268; VI cons. Hon. 565; Rapt. Pros. II, 325; situs pro robigine: Rapt. Pros. I, 80 sq.: „squalent inmania foedo Sceptra situ“; gradus pro sedilibus: VI cons. Hon. 614; facta pro libris, in quibus facta descripta sunt: Laus Ser. 158; studia pro sermone studium declarante: Cons. Stil. II, 269; sors pro regione sortita: In Ruf. I, 363; Bell. Gild. 259; VI cons. Hon. 84; Laus Ser. 124; Rapt. Pros. I, 100; II, 220. Huc etiam refero: In Ruf. II, 104: „Utraque castra movens Phoebi properabat ad ortus“ i. e. in terras ad solem orientem sitas, quae eodem modo designantur: Cons. Stil. I, 337 sq.: „Aut in harenosos aestus zonamque rubentem Tenderet aut solis fugiens transiret in ortus“.

Contrariae formae, qua consequentia quaedam significandi causa ponuntur, exempla exstant haec: imperium invenitur pro terra vel terris, quae imperio alicuius, plerumque Romanorum, tenentur: In Ruf. I, 319; II, 50, 207; Bell. Gild. 283; Cons. Manl. Theod. praef. 18; Cons. Stil. I, 71, 283; II, 72; III, 10, 206; VI cons. Hon. 23, 149, 591, 612; Bell. Poll. 37, 572; Epith. Pall. et Cel. 87; Laus Ser. 60. Pari sensu usur-

pantur regna vel regnum: Prob. et Olybr. cons. 83; In Ruf. I, 59; II, 1, 315; Bell. Gild. 218, 377, 457; In Eutr. I, 212, 398; II, 2, 94, 306, 332; Fesc. II, 36; III cons. Hon. 182; IV cons. Hon. 355, 379; Cons. Manl. Theod. praef. 12; Cons. Stil. I, 373; II, 166, 202; III, 160; VI cons. Hon. 83, 234; Bell. Poll. 13, 67, 103, 264, 300, 332, 436, 517; Epith. Pall. et Cel. 86; Apon. 18; Phoen. 8; Nil. 16; Epist. ad Ser. 19, 48; De salvat. 3; Gigant. 1; Rapt. Pros. I, 224; II, 297; III, 63, 90. Ius Latium legitur pro imperio Romano: Bell. Gild. 454 sq.: „Ius Latium, quod tunc Meroe rubroque solebat Oceano cingi, Tyrrhena clauditur unda"; commercia pro emporiis: In Eutr. I, 58; tumultus pro chao confuso: Rapt. Pros. I, 249; chori pro stellarum agmine: Nupt. Hon. praef. 16; classica turba pro navium multitudine: Cons. Stil. III, 357; amictus pro veste: Prob. et Olybr. cons. 192; In Ruf. II, 81; In Eutr. I, 307; II, 62, 250; Nupt. Hon. 284; IV cons. Hon. 157, 566; Cons. Stil. II, 249; VI cons. Hon. 166; Bell. Poll. 168, 351; De lucusta 2; Epith. Pall. et Cel. 6; Phoen. 6; De lanario 1; Rapt. Pros. II, 17, 275; III, 149; census pro bonis: Cons. Manl. Theod. 231. Huic adicio exemplo: In Ruf. I, 193 sq.: „Congestae cumulantur opes orbisque ruinas Accipit una domus" i. e. opes raptas, quibus hominum ruina efficitur. Deinde solacia dicuntur pro re, quae solacium praebet: Rapt. Pros. II praef. 3. Simili vi adhibita occurrunt vocabula sequentia: spes: Nupt. Hon. 294; VI cons. Hon. 524; salus: Apon. 70; Nil. 18; auxilium: Apon. 70; requies: Apon. 69; gloria: Apon. 68; Rapt. Pros. I, 285; II praef. 36; decus: Cons. Stil. III, 287, 319; Phoen. 64; De equo 13; Rapt. Pros. II, 209; deliciae: Cons. Stil. III, 317; voluptas: In Ruf. I, 209; honos: VI cons. Hon. 163; Phoen. 18; Laus Ser. 182; Rapt. Pros. II, 128; gratia: IV cons. Hon. 589; pretium: In Ruf. II, 499; In Eutr. I, 84; Nupt. Hon. 88; Cons. Stil. I, 293; II, 115; III, 229; triumphi: In Eutr. I, 221; Nupt. Hon. 227; Cons. Stil. III, 329; ludibrium vel ludibria: In Eutr. I, 306; VI cons. Hon. 139; Bell. Poll. 110; Rapt. Pros. III, 264; dolor: Rapt. Pros. III, 381; timor: Nupt. Hon. 162; Cons. Stil. III, 319. Neque non huc spectat, quod Ioniae irae reperiuntur pro mari Ionio irato: Rapt. Pros. I, 148 sq.: „caput inde Pachyni Respuit Ionias praetentis rupibus

iras"; rabies Tyrrhena pro mari Tyrrheno rabido: Rapt. Pros. I, 152; rabies leonum pro leonibus rapidis: Rapt. Pros. III, 166; furiae torrentum pro torrentibus furiosis: III cons. Hon. 46; quies pelagi pro pelago quieto: In Ruf. I, 71; libertas maris pro mari libero: In Ruf. II, 210; silentia silvae pro silva silente: Cons. Stil. I, 228; reverentia flammae pro flamma reverenti: De piis fratr. 3; infantia linguae pro lingua infanti: Laus Ser. 103; ferri rigor pro ferro rigido: Magn. 16. Quibus audacius exstat: VI cons. Hon. 618 sqq.: „Nec solis hic cursus equis: assueta quadrigis Cingunt arva trabes, subitaeque aspectus harenae Diffundit Libycos aliena valle cruores", ubi aspectus harenae ponitur pro harena aspecta. Quae restant huius formae exempla sunt haec: facinus substituitur pro epistula, qua facinus iubetur: In Ruf. II, 169; cruciatus pro tormentis: In Ruf. I, 235; corporis excubiae pro corporis custodibus i. e. oculis: Cons. Stil. I, 313; vindemia pro uvis: Cons. Manl. Theod. 180. Pro vento invenitur flamen vel flamina: In Ruf. I, 71; Bell. Gild. 522; In Eutr. II, 312; III cons. Hon. 36; Cons. Stil. III, 57; Bell. Poll. 273; Laus Ser. 201; Rapt. Pros. II, 85; flatus: Bell. Gild. 513; III cons. Hon. 141; Cons. Stil. II, 411; Phoen. 34; Rapt. Pros. I praef. 3; I, 176. Ictus legitur pro loco, qui petendus est: IV cons. Hon. 529; morsus pro rostro: Bell. Gild. 470; funus pro cadavere: Phoen. 75.

Iam vero metonymia a temporis notionibus ducta est. Dies enim dicitur pro sole: Prob. et Olybr. cons. 172; In Ruf. II, 122; Bell. Gild. 400; In Eutr. I, 354; Cons. Manl. Theod. 57, 78; Phoen. 5; De cryst. V, 6; Rapt. Pros. I, 276; II, 2; pro luce: Prob. et Olybr. cons. 3; In Ruf. I, 63; In Eutr. II, 529; III cons. Hon. praef. 12; III cons. Hon. 136; IV cons. Hon. 176; VI cons. Hon. 190; Rapt. Pros. I, 96, 164; II, 282; pro solis ardore: Nupt. Hon. 248; IV cons. Hon. 64; Cons. Stil. II, 257; pro locis superis: In Ruf. I, 377 sq.: „Tuque simul gravibus ferri religata catenis Expellere (sc. Megaera) die"; Rapt. Pros. III, 316; nox pro tenebris: Rapt. Pros. II, 331; III, 87, 235, 243; pro locis inferis: In Ruf. II, 525; Rapt. Pros. I, 112; II, 221. Tum videatis: Rapt. Pros. III, 223 sq.: „Nec credit . . . Quod gelidi rubeant alieno germine menses"

i. e. nec credit agros gelidis mensibus splendere posse floribus, qui aestate oriuntur. Ad anni tempora pertinent: Fesc. IV, 7: „Non quisquam fruitur veris odoribus“ i. e. odoribus florum vernorum, qui pari ratione significantur: Cons. Stil. II, 423; Epith. Pall. et Cel. 116; Cons. Stil. II, 460 sq.: „nec brachia Cancri Urat atrox aestas“ i. e. ardor solis, qui aestate in cancri signo moratur; Rapt. Pros. II, 292 sq.: „fortunatumque tenebis Autumnum et fulvis semper ditabere pomis“ i. e. fructus autumnales; De cryst. IV, 5: „Non illum (sc. umorem) constrinxit hiems, non Sirius ardens“, quo loco hiems frigus designat, quod eodem modo fit: De cryst. VI, 4; De torp. 7. Item bruma reperitur pro frigore: In Ruf. I, 242; De cryst. IV, 3; Rapt. Pros. II, 106. Ut ad extremum perveniamus, annus ponitur pro annona: Bell. Gild. 57: „Pensabam Pharium Gaetulis messibus annum“; In Eutr. I, 403; Rapt. Pros. II, 75; meatus annis praescripti pro meatibus soli praescriptis, quibus anni conficiuntur: In Ruf. I, 5.

Denique afferam nonnulla metonymiae attributivae exempla, in quibus adiectiva rebus sensibus subiectis propria ad res transferuntur, quae cerni tangive non possunt: Prob. et Olybr. cons. 25 sq.: „Tunc iubar Arcturi languet, tunc fulva Leonis Ira perit“; In Ruf. I, 155 sq.: „condita funera traxi Carminibus victura meis“; 165 sq.: „Sic rex ad prima tumebat Maeonius, pulchro cum verteret omnia tactu“; Bell. Gild. 470 sq.: „Dumque reluctantem (sc. hydrum) morsu partitur obunco, Haesit in ungue caput“; In Eutr. I, 134 sq.: „Dum validus (sc. canis) servare gregem vigilique rapaces Latratu terrere lupos“; II, 359 sq.: „Quis melius vibrata puer vertigine molli Membra rotet“; 375: „teneros detergent stamine fletus“; 529: „Nec croceum vestita (sc. Aurora) diem“; Nupt. Hon. 102 sq.: „haec morsu numerosi dentis eburno Multifidum discrimen arat“; III cons. Hon. 45 sq.: „tranare sonoras Torrentum furias“; IV cons. Hon. 549 sq.: „Turbantur phalerae, spumosis morsibus aurum Fumat“; Cons. Stil. I, 131 sq.: „quas (sc. valles) saepe cruentis Stragibus aequavit Stilicho“; II, 257: „Et calido rubicunda die sic Africa fatur“; 460 sq.: „nec brachia Cancri Urat atrox aestas“; III, 328 sq.: „longoque morantur Ordine plaustra vias montanis

plena triumphis"; VI cons. Hon. 638 sq.: „Ianus bella premens laeta sub imagine pugnae Armorum innocuos paci largitur honores"; Bell. Poll. 22 sq.: „insopitisque refusum Tractibus aurati custodem velleris anguem"; 47 sq.: „nec poscimus amnes Undosam servare fidem"; 244: „qui (sc. cometes) primum roseo Phoebi prolatus ab ortu"; 586 sq.: „Vulneribus pars nulla vacat rescissaque contis Gloria foedati splendet iactantior oris"; De hyst. 1 sq.: „Audieram memorande tuas Stymphale volucres Spicula vulnifico quondam sparsisse volatu"; Apon. 48: „Sustentat trepidum, fida ruina, pedem"; 85: „Et fragilem nostri miseratus (sc. Aponus) corporis usum"; 91 sq.: „Non illis terrena lues corrupta nec Austri Flamina nec saevo Sirius igne nocet"; Magn. 12: „nec insigni splendet (sc. magnes) per cingula morsu"; De salvat. 8 sq.: „innuptaque mater Arcano stupuit compleri viscera partu"; De cryst. IV, 1 sq.: „Aspice correptam splendenti fragmine venam, Qua trahitur limes lucidiore gelu"; VI, 4: „Dura quibus (sc. lymphis) solis parcere novit hiems"; Rapt. Pros. I, 222: „Crastina puniceos cum lux detexerit ortus"; II, 192 sq.: „rutilos obscurat anhelitus axes Discolor"; 282: „Amissum nec crede diem"; 329: „Rumpunt insoliti tenebrosa silentia cantus"; III, 141 sq.: „Sic aestuat ales, Quae teneros humili fetus commiserit orno"; 223 sq.: „Nec credit . . . Quod gelidi rubeant alieno germine menses"; 235: „Ecce polum nox foeda rapit".

§ 9. Hac paragrapho ea colligam exempla, in quibus res, quae a sensibus sunt sevocatae sed mente potius percipiuntur, aliae pro aliis adhibentur. Proficiscor autem ab ea forma, qua causa occurrit pro re effecta. Quo ex genere sunt haec: labores vel labor sumuntur pro rebus gestis: In Eutr. I, 103; Cons. Stil. I, 21, 193; III, 14, 28; Laus Ser. 172; pari sensu inveniuntur actus: In Ruf. I, 284; II, 481; Bell. Gild. 291; In Eutr. II, 120; Cons. Manl. Theod. 145; Cons. Stil. I, 14; Rapt. Pros. II praef. 29. Bella exstant pro rebus bello gestis: Bell. Poll. 480; scelus pro facinore nefario: In Ruf. II, 141, 193, 500; Bell. Gild. 270, 400; In Eutr. I, 298, 482; II, 36, 155, 506; III cons. Hon. 102; IV cons. Hon. 109;

Cons. Stil. I, 245, 272; II, 111, 301; VI cons. Hon. 133; Bell. Poll. 503; Rapt. Pros. II, 343; III, 302; irae pro consilio ira suggesto: In Ruf. II, 280 sq.: „Sensu dolor haeret in alto Abditus et tacitas vindictae praestruit iras“; pro minis: Rapt. Pros. II, 213; odia pro insidiis odio effectis: In Ruf. II, 282: „Spectaturque favens odiis locus“; pro furore bellico: Bell. Gild. 295; Bell. Poll. 565; doli pro consiliis dolosis: VI cons. Hon. 237. Porro preces dicuntur pro re precibus impetrata: Cons. Stil. II, 386; votum pro re optata: In Ruf. I, 354; Rapt. Pros. III, 244; vota pro devotis: Epist. ad Ser. 62. Pro somnio reperitur quies: VI cons. Hon. praef. 2; somnus: Bell. Gild. 354; Cons. Stil. II, 217; VI cons. Hon. praef. 15; Rapt. Pros. III, 70; sopor: VI cons. Hon. praef. 10, 25; Rapt. Pros. III, 81; pro concubitu sopor: Rapt. Pros. III, 276; amplexus: Fesc. IV, 25; Rapt. Pros. III, 277. Iudicium ponitur pro favore: Cons. Stil. II, 209; ingenium pro causa ingeniose excogitata: Cons. Stil. II, 285; fata vel fatum pro morte: In Ruf. II, 445; Bell. Gild. 292; Cons. Stil. II, 53; Bell. Poll. 439; Depr. ad Hadr. 18; Apon. 2; Laus Ser. 13; Gigant. 54, 91. Eodem redeunt: Bell. Gild. 398: „tenuem caesis invidit harenam“ et: Cons. Stil. II, 231 sq.: „Cuncta mihi semper Stilicho, quaecumque poposci, Concessit tantumque suos invidit honores“, quibus locis verbum invidere occurrit pro „non tribuere“.

Sed etiam contraria forma reperitur, quae exstat in his: cura legitur pro munere publico: Cons. Manl. Theod. 159 sq.: „Quis vero insignem tanto sub principe curam Respuat?“; tenor pro conexu: Bell. Gild. 206; discrimen pro periculo: Bell. Gild. 101, 262; In Eutr. I, 401; IV cons. Hon. 435; Cons. Stil. I, 376; III, 102; VI cons. Hon. 97, 459; Bell. Poll. 13, 295; Laus Ser. 164; pro pugna: Cons. Stil. I, 194; militia pro bello: VI cons. Hon. praef. 20; laus pro merito: VI cons. Hon. 593; laudes pro factis laude dignis: Prob. et Olybr. cons. 30; III cons. Hon. 59; IV cons. Hon. 41; Cons. Stil. I, 139; II, 1; triumphus pro victoria: Prob. et Olybr. cons. 139; In Ruf. II praef. 11; II, 194; Bell. Gild. 429; In Eutr. I, 435; II, 416; Fesc. II, 25; III cons. Hon. 146; IV cons. Hon. 98, 639; Cons. Stil. I, 4, 385; II, 65; III, 68; VI cons. Hon. 201; Bell. Poll. 295, 636; De chlamyde 13; Rapt. Pros. I, 154; pro qua substituitur gloria:

In Ruf. I, 339; chorus pro laetitia: Cons. Stil. II, 421: „Nec minor in caelo chorus est". Accedunt haec: luctus pro calamitate: In Ruf. II, 17; lucrum pro avaritia: Cons. Manl. Theod. 214; opprobrium pro re probrosa: In Eutr. I, 57; pudor pro ignominia: Bell. Gild. 451; In Eutr. I, 9, 413; II praef. 47; II, 78, 159; Bell. Poll. 563; mors pro caede: Bell. Gild. 263; Cons. Stil. III, 272; Epist. ad Hadr. 27; funus vel funera pro caede vel morte: In Ruf. I, 250; II, 168, 338; Bell. Gild. 410; IV cons. Hon. 56, 314; Rapt. Pros. III, 195.

Sequuntur exempla, in quibus metonymia a temporis notionibus est petita, ut: In Ruf. I, 144sq.: „Artus ne sperne seniles. Namque mihi magicae vires aevique futuri Praescius ardor inest", ubi aevum futurum exstat pro iis, quae illo tempore fient. Similiter inveniuntur pro iis, quae facta sunt vel fiunt vel fient saecula: In Ruf. II, 208; Bell. Gild. 43; In Eutr. II, 60; dies: In Ruf. II, 192, 332; In Eutr. II, 245; Cons. Manl. Theod. 277; noctes: Bell. Gild. 85; quae ponuntur pro amore: In Eutr. I, 70; Epith. Pall. et Cel. 55: „tuo primae librantur foedere noctes"; pro somniis: Bell. Gild. 355: „multaeque canunt praesagia noctes"; Rapt. Pros. III, 69. Anni vel annus occurrunt pro aetate: Bell. Gild. 303; Cons. Manl. Theod. 16; VI cons. Hon. 54, 547; Laus Ser. 140, 197; Rapt. Pros. I, 34; pro iuventute: IV cons. Hon. 365; Rapt. Pros. III, 116; pro senectute: IV cons. Hon. 421; Bell. Poll. 480; Phoen. 30; pro consulatu: In Eutr. I, 284sq.: „Gestis pro talibus annum, Flagitet Eutropius"; 437; II, 122. Praeterea iuventus sumitur pro impetu iuvenili: Prob. et Olybr. cons. 155; iuventa pro robore iuvenili: Cons. Stil. II, 414; pro rebus ab iuvene gestis: Cons. Stil. I, 14; aetas pro debilitate, quae aetate effecta est: In Ruf. II, 428. Eadem significatio conspicitur in verbo senectus: Cons. Stil. II, 410. Vetustas dicitur pro sapientia veterum: Cons. Manl. Theod. 91sq.: „uno se pectore cuncta vetustas Condidit". Quibus addere mihi liceat, quod vita reperitur pro rebus gestis: In Eutr. I, 419sqq.: „Militia eunuchi numquam progressa cubili, Non vita spondente fidem; sed inertia tutum Mentis pignus erat"; pro vitae ratione et conditione: In Eutr. II praef. 5; II, 226; IV cons. Hon. 301; Cons. Manl. Theod. 17, 334; VI cons. Hon. 65; Depr. ad Hadr. 44; De salvat. 4;

Rapt. Pros. III, 23; 44. Nec aliter usurpatur verbum vivere: In Eutr. I, 498 sq.: „Ducant pensa viri mutatoque ordine rerum Vivat Amazonio confusa licentia sistro“; IV cons. Hon. 264; Rapt. Pros. III, 273.

Contra temporis notiones demonstrantur, cum pax substituitur pro tempore, quo pax est, qua de re conferas: In Ruf. I praef. 18; II, 10; III cons. Hon. 145; IV cons. Hon. 489; Cons. Stil. I, 29; II, 16, 148.

Subiungo nonnullos locos, qui tropum exhibent attributivum, cuius rei haec habes exempla: Prob. et Olybr. cons. 40 sq.: „sed mens circumflua luxu Noverat intactum vitio servare rigorem“; Bell. Gild. 85 sq.: „Muro sustinui Martem noctesque cruentas Collina pro turre tuli“; In Eutr. II, 131 sq.: „Ille dedit fastos, ad quos Oriente relicto Confugeret sparsum maculis servilibus aevum“.

§ 10. Haec sufficiat de ea forma, quae ad res spectat, egisse. Restat, ut nonnulla proferam de tertio metonymiae genere, quod duobus illis, quae adhuc tractavi, quasi oppositum non singulis conficitur verbis sed pluribus explicatur ita, ut tota sententia per metonymiam exprimatur. Exempla huc pertinentia in eo constant genere, quo sequentia e praecedentibus, praecedentia e sequentibus (*ἀπὸ τοῦ προηγουμένου τὸ ἀκόλουθον, ἀπὸ τοῦ ἀκολούθου τὸ προηγούμενον*) cognoscuntur.[1]) Cuius formae haec exempla mihi videntur commemoranda: Prob. et Olybr. cons. 36 sq.: „gelido si quem Maeotica pascit Sub Iove“ i. e. si quis Maeotiam terram habitat; 37 sq.: „calido si quis coniunctus in axe Nascentem te, Nile, bibit“ i. e. si quis ad Nili fontes habitat; In Ruf. I, 312: „bibens Maeotin Alanus“ i. e. Alanus ad lacum Maeotium habitans; In Eutr. II, 101 sq.: „Unde tamen tanta sublimes mole redibant, Ceu vinctos traherent Medos Indumque bibissent“ i. e. usque ad Indum flumen processissent; De sene Veron. 5 sq.: „Illum non vario traxit fortuna tumultu, Nec bibit ignotas mobilis hospes aquas“ i. e. nec in ignotas regiones venit; In Eutr. I, 246 sq.: „stabulisque abducta

[1]) Cf. Quintilian VIII, 6, 19; Tryphon: *περὶ τρόπων* (Rhet. Graeci, ed. Spengel III, p. 196).

paternis Caucasias captiva bibunt armenta pruinas" i. e. in Caucaso monte retinentur; Prob. et Olybr. cons. 254 sq.: „Italis quicumque (sc. fluvii) suberrant Montibus Alpinasque bibunt de more pruinas" i. e. qui in Alpibus oriuntur; Cons. Stil. III, 158: „Quod bibimus passim Rhodanum, potamus Orontem" i. e. modo ad Rhodanum modo ad Orontem versamur; In Eutr. II, 248 sqq.: „Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens Illis ante vagus tandem regionibus haesit Gaesaque deposuit, Graio iam mitis amictu, Pro Rheno poturus Halyn" i. e. Rheno relicto ad Halyos ripas habitaturus; Cons. Stil. II, 191 sq.: „hinc obsidione solutus Pannonius potorque Savi" i. e. gentes Savum flumen accolentes; Cons. Manl. Theod. 285 sqq.: „Inlustret circum sonipes, quicumque superbo Perstrepit hinnitu Baetin, qui splendida potat Stagna Tagi" i. e. quicumque ad Baetin vel Tagum alitur; Bell. Poll. 183 sq.: „Sperchiusque et virginibus dilectus Enipeus Barbaricas lavere comas" i. e. barbari ad Sperchium Enipeumque progressi sunt; Descr. arm. 3: „Non tales, Clitumne, lavas in gurgite tauros" i. e. non tales tauri ad Clitumnum aluntur; De equo dono dato 1 sqq.: „O felix sonipes . . . Seu tua per campos vento iuba lusit Hiberos, Seu te Cappadocum gelida sub valle natantem Argaeae lavere nives, seu laeta solebas Thessaliae rapido perstringere pascua cursu" i. e. sive in Hispania sive in Cappadocia sive in Thessalia alebaris; De zona equi regii 5 sq.: „Sive illum (sc. equum) Armeniis aluerunt gramina campis Turbidus Argaea seu nive lavit Halys" i. e. sive in Armenia sive in Cappadocia alebatur; Nupt. Hon. 301: „Seu premis Elysias animarum praemia valles" i. e. habitas; Prob. et Olybr. cons. 59 sq.: „Italiae late cum frena teneret (sc. Probus) Illyricosque sinus et quos arat Africa campos" i. e. quos campos Afri incolunt; In Eutr. II, 247: „Thyni Thraces arant, quae nunc Bithynia fertur" i. e. incolunt; VI cons. Hon. 182 sqq.: „Nec iam cornipedem Thybrino gramine pascis, Ut rebare, tuum? Tuscis nec figis aratrum Collibus?" i. e. nec sedem collocas in Italia?; Nil. 1: „Felix, qui Pharias proscindit vomere terras" i. e. qui Aegyptum incolit. Deinde in hoc genere haec versantur: In

Eutr. II, 300: „Nec iuga sulcabit noster Berecynthia currus“ i. e. nec in montem Berecynthium veniam; Epist. ad Ser. 41: „Nec (sc. promisi), quod nostra Ceres numerosa falce laboret“ i. e. me multos agros possidere; VI cons. Hon. 388sq.: „Iam flavescentia centum Messibus aestivae detondent Gargara falces“ i. e. iam centum anni praeterierunt; In Ruf. I, 310sqq.: „Mixtis descendit Sarmata Dacis Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax Massagetes“ i. e. Massagetes, qui sanguinem equinum bibit; Laus Ser. 88sq.: „Ternaque te nudis innectens Gratia membris Afflavit docuitque loqui“ i. e. tibi venustatem impertivit; Rapt. Pros. II praef. 41: „Non cadere Antaeo, non crescere profuit hydrae“ i. e. non profuit Antaeo contacta terra vires reparare; 45sq.: „Te Libyci stupuere sinus, te maxima Tethys Horruit, imposito cum premerere polo“ i. e. cum caelum ferres; De piis fratr. 39sq.: „Si vetus Argolicos inlustrat gloria fratres, Qui sua materna colla dedere iugo“ i. e. qui matrem vexerunt; Rapt. Pros. III, 48sq.: „quae (sc. Ceres) nunc ignara malorum Verberat Idaeos torva cum matre leones“ i. e. quae cum matre curru leonibus iuncto vehitur; Epist. ad Olybr. 7sq.: „An rarus qui scripta ferat? Quin tempore nullo Cessant Flaminiae pulverulenta viae“ i. e. quin via Flaminia semper frequens est; In Eutr. I, 210: „Non pudet heu, superi, populos venire sub hasta?“ i. e. auctione constituta venire?; II, 401: „Pristina restituam Phrygias ad stamina matres“ i. e. domum deducam; Prob. et Olybr. cons. 210sq.: „Arrectis auribus haesit (sc. Tiberinus), Unde repentinus populi fragor“ i. e. attento animo; Epist. ad Ser. 57sq.: „Saltem absens, regina, fave reditusque secundos Annue sidereo laeta supercilio“ i. e. concede; In Ruf. II, 446sq.: „Aspiciat quisquis nimium sublata secundis Colla gerit“ i. e. qui in rebus secundis nimium superbus est; In Eutr. I, 173sq.: „Vidit (sc. Eutropius) sub pedibus leges subiectaque colla Nobilium“ i. e. nobiles animo remissos; IV cons. Hon. 444sq.: „Totum properare per amnem Attonitos reges humili cervice videres“ i. e. reges ad imperata facienda paratos; Cons. Stil. I, 41sqq.: „Erectus et acer Nil breve moliri, nullis haerere potentum Liminibus“ i. e. favorem potentium sibi conciliare;

IV cons. Hon. 602 sq.: „Hoc si Maeonias cincto graderere per urbes, In te pampineos transferret Lydia thyrsos“ i. e. Lydia te praeferret Baccho; 21 sq.: „cunabula (sc. Ulpiae gentis) fovit Oceanus“ i. e. Oceanus auctor erat Ulpiae gentis; Prob. et Olybr. cons. 143 sq.: „festa quos (sc. fratres) luce creatos Ipsa meo fovi gremio“ i. e. quos ipsa educavi; VI cons. Hon. 65 sqq.: „Teque rudem vitae . . . socium sumebat honorum Purpureo fotum gremio“ i. e. ab imperatore ortum. — Quibus accedant exempla, quae ad consulatum attinent: Prob. et Olybr. cons. 205 sq.: „Ut sceptrum gessere manu membrisque rigentes Aptavere togas“ i. e. ut Probinus et Olybrius consulatum inierunt; In Eutr. I, 370: „Accipit et trabeas argutae praemia dextrae“ i. e. consul creatur; II, 24 sq.: „Induerat necdum trabeas: mugitus ab axe Redditus inferno“ i. e. nondum consulatum inierat; Cons. Manl. Theod. 338 sq.: „Decurrat trabeata domus tradatque secures Mutua posteritas“ i. e. consularis dignitas familiae tuae perpetua sit; Prob. et Olybr. cons. 230 sqq.: „Hic stetit et subitum prospexit ab aggere votum: Unanimes fratres iuncto stipante senatu Ire forum strictasque procul radiare secures Atque uno biiuges tolli de limine fasces“ i. e. Probinum et Olybrium fratres consules esse creatos; In Eutr. I, 320 sq.: „Sumeret inlicitos etenim si femina fasces, Esset turpe minus“ i. e. si femina consul crearetur; 489 sq.: „Contagia fascibus, oro, Defendas ignava tuis“ i. e. prohibeas, ne ignavus homo consul creetur; IV cons. Hon. 416 sq.: „Lustratae lictore casae fascesque salignis Postibus affixi“ i. e. coloni consules creabantur; In Eutr. I, 449 sq.: „Quemcumque meae vexere curules, Laxato veniat socium aversatus Averno“ i. e. quicumque consul fuit; 151 sq.: „Cernite, quem Latiis poscant adnectere fastis: Cuius et eunuchos puduit!“ i. e. quem Romae consulem agnosci velint; 319: „Eunuchumque vetat fastis accedere Ianus“ i. e. eunuchum consulem creari; IV cons. Hon. 611 sq.: „Auspice mox laetum sonuit clamore tribunal Te fastos ineunte quater“ i. e. qui quartum consul creatus es; Cons. Stil. II, 243 sq.: „Qui mihi Germanos solus Francosque subegit, Cur nondum legitur fastis?“ i. e. cur nondum consul fuit?; Nupt. Hon. 119 sq.: „Scis Mariam patremque ducem,

qui cuspide Gallos Italiamque fovet“ i. e. qui Galliam Italiamque administrat. — Ad poesin referuntur haec: In Ruf. II praef. 1 sq.: „Pandite defensum reduces Helicona sorores, Pandite“, quem versum Koenigius interpretatur: ‚afflate me vestro divino numine‘; Epist. ad Prob. 13 sq.: „Romanos bibimus primum te consule fontes Et Latiae accessit Graia Thalia togae“ i. e. te consule primum carmen lingua Latina composui, cum antea sola lingua Graeca uterer; Cons. Stil. II, 5: „Mitior incipiat fidibus iam Musa remissis“ i. e. leniore cantus genere; Cons. Manl. Theod. 314 sq.: „qui pulpita socco Personat aut alte graditur maiore cothurno“ i. e. qui comoediam aut tragoediam agit. — Multo frequentiora sunt exempla ad bellum victoriamque spectantia, qua de re conferas haec: In Ruf. I, 86 sq.: „Signa quidem, sociae, divos attollere contra Nec fas est nec posse reor“ i. e. deis bellum inferre; Rapt. Pros. I, 65 sq.: „Cur impia tollis Signa?“ i. e. cur impium bellum incipis?; II, 255 sq.: „Non ego, cum rapido saeviret Phlegra tumultu, Signa deis adversa tuli“ i. e. bellum contra deos gessi; In Eutr. II, 223 sq.: „nunc alter in armis Sexus“ i. e. bellum gerit; eodem sensu exstat: Cons. Stil. III praef. 3: „Non sine Pieriis exercuit artibus arma“; Cons. Manl. Theod. 181: „Terribiles rursum lituos veteranus adibo“ i. e. veteranus rursum ad bellum proficiscar; Cons. Stil. I, 247 sq.: „ne qua tuis intacta trophaeis Pars foret, Australis sonuit tuba“ i. e. in regione Australi bellum gestum est; In Ruf. II, 159 sq.: „Inter equos interque tubas mandata feruntur Regia“ i. e. media in pugna; I, 217 sq.: „Haec si nota forent, frueremur simplice cultu, Classica non gemerent, non stridula fraxinus iret“ i. e. nulla essent bella; Cons. Stil. I, 173 sq.: „Vexillum navale dares: sub puppibus ibat Ionium“ i. e. expeditionem navalem parari iuberes; II, 14 sqq.: „Haec (sc. Clementia) docet ut poenis hominum vel sanguine pasci Turpe ferumque putes; ut ferrum Marte cruentum, Siccum pace feras“ i. e. ut interficias in bello neque vero in pace; III cons. Hon. 147 sq.: „Odrysium pariter Getico foedavimus Hebrum Sanguine“ i. e. Getas ad Hebrum flumen vicimus; Bell. Poll. 513 sqq.: „Scis ipse, per oras Arcadiae quam densa rogis cumulaverit ossa, Sanguine

quam largo Graios calefecerit amnes“ i. e. quot hostes in Arcadia Graeciaque interfecerit Stilicho; Rapt. Pros. II, 65 sq.: „Seu flavos stravere Getas seu forte rigentem Thermodontiaca Tanaim fregere (sc. Amazones) securi“ i. e. seu bellum contra Scythas gesserunt; VI cons. Hon. 278 sqq.: „ceu legibus exul Addictusque reus flatu propiore sequentum Terga premor“ i. e. hostes insequentes me sunt capturi; IV cons. Hon. 24 sq.: „cui (sc. avo) post Arctoa frementi Classica Massylas adnexuit Africa laurus“ i. e. qui gentibus regionem septemtrionalem incolentibus domitis victoriam de Afris reportavit; Cons. Manl. Theod. 289 sq.: „Cuncta Palaemoniis manus explorata coronis Adsit“ i. e. omnes, qui in ludis Isthmicis vicerunt; Bell. Poll. 31 sqq.: „Anne ego terrigenas potius mirabor in ipsis Procubuisse satis . . . quam caesa Getarum Agmina, quos tantis aluit Bellona trophaeis Totaque sub galeis Mavortia canuit aetas?“ i. e. qui tot victorias reportaverunt et totam vitam bello gerendo egerunt; Bell. Gild. 33: „nec ut rubris aquilas figamus harenis“ i. e. nec ut terris ad mare Erythraeum sitis potiamur. Quibus subicio: VI cons. Hon. 619 sq.: „subitaeque aspectus harenae Diffundit Libycos aliena valle cruores“ i. e. in alia valle ludi bestiarii aguntur. — Postremo afferam exempla, in quibus vita et mors declarantur: In Ruf. I, 156 sq.: „multosque canendo, Quamvis Parcarum restarent fila, peremi“ i. e. quamquam vivere iis fatum erat; Apon. 87 sq.: „Parcarumque colos exoratura severas Flumina laxatis emicuere iugis“ i. e. nos morte liberatura; Phoen. 109 sq.: „non stamina Parcae In te dira legunt“ i. e. non morieris; Apon. 93 sq.: „Sed quamvis Lachesis letali stamine damnet, In te fata sibi prosperiora petunt“ i. e. quamquam mors instat; In Ruf. II, 167: „nec Stygias ferar incomitatus ad umbras“ i. e. non solus moriar; VI cons. Hon. 95 sq.: „seniore supernas Iam repetente plagas“ i. e. cum senior mortuus esset; Laus Ser. 150 sq.: „Laodamia sequens remeantem rursus ad umbras Phylaciden“ i. e. Phylaciden mortuum; Bell. Poll. 588 sq.: „Ille tamen mandante procul Stilichone citatis Acceleravit equis Italamque momordit harenam“ i. e. in Italia interfectus est.

Haec habeo, quae de metonymiae apud Claudianum usu dicam. Quam si cum metonymia Vergiliana comparaverimus, magnum numerum exemplorum a Claudiano adhibitorum iam in Vergilii carminibus inveniemus, quorum graviora mihi liceat proferre. Ac primum quidem apud Vergilium eadem ratione atque apud Claudianum dei ponuntur pro iis rebus, quas administrant vel quas hominibus dono dederunt, quo ex genere sunt haec: Titan legitur pro sole: A. IV, 119[1]); Neptunus pro mari: G. IV, 29; pro quo usurpatur Nereus: B. VI, 35; Thetis: B. IV, 32; Doris: B. X, 5. Vinum significat Bacchus: A. III, 354; VIII, 181; B. V, 69; G. I, 344; II, 191; IV, 380; Lyaeus: A. I, 686; G. II, 229. Ceres exstat pro frumento: A. I, 177, 701; VII, 113; VIII, 181; G. II, 229; Musa pro carmine: A. X, 191; B. I, 2; VI, 8; pro domo Lar: G. IV, 43; Penates: A. I, 527, 704; IV, 21; VIII, 123, 543; XI, 264. Praeterea Mars invenitur pro bello: A. II, 335, 440; VI, 165; VII, 540, 550, 582; VIII, 495, 557, 676; IX, 518; X, 237; XI, 143, 374, 389, 899; XII, 1, 73, 108, 124, 187, 410, 497, 712, 790; Venus pro amore: A. VI, 26: XI, 736; Minerva pro texendi arte: A. VIII, 409. Quibus accedit exemplis, quod a Vergilio Oenotria tellus sumitur pro tellure Italica: A. VII, 85; et adiectivum Cecropius pro ‚Atheniensis‘ vel ‚Atticus‘: G. IV, 177, 270.

Eis, quae sequuntur, exemplis dei vel homines rebus significantur, quae sensibus subiectae sunt. Sic pro deis usurpatur aether: A. IX, 24; Olympus: A. VI, 834; VIII, 533. Eodem redit, quod pro incolis exstant hae terrae et urbes: Aegyptus: A. VIII, 687; G. IV, 210; Asia: A. II, 193; Bactra: A. VIII, 688; Carthago: A. X, 12; Germania: B. I, 62; G. I, 474, 509; Graecia: A. XI, 287; G. I, 38; III, 20; Italia: A. X, 8; XII, 41; atque voces tellus: G. I, 7; terrae: B. IV, 14. Etiam Euphrates et Hydaspes iam a poeta aureae aetatis dicuntur pro populis accolentibus; ille pro Parthis: G. I, 509; hic pro Indis: G. IV, 211. Porro uterque poeta compluribus

[1]) In versibus afferendis usus sum Ribbeckii editione. — Plurima metonymiae exempla in Vergilii Aeneide exstantia composuit R. Braumüller (Jahresbericht des K. Wilhelms-Gymnasiums in Berlin für das Jahr 1877, p. 1 sqq. u. das Jahr 1882, p. 2 sq. u. p. 4 sq.).

utitur exemplis antonomasiae a loco sumptae, quae sunt haec: Cyllenius pro Mercurio: A. IV, 252, 276; Delia pro Diana: B. III, 67; VII, 29; Tritonia pro Minerva: A. II, 171; Cytherea pro Venere: A. I, 257, 657; IV, 128; V, 800; VIII, 523, 615; Tirynthius pro Hercule: A. VII, 662; VIII, 228; Ithacus pro Ulixe: A. II, 104, 122, 128; III, 629. Ut transgrediar ad aedificia aut partes eorum, quae pro hominibus occurrunt, cortina reperitur pro Pythia: A. VI, 347; domus pro gente vel incolis: A. I, 284, 356, 661; II, 652; III, 97; IV, 318; V, 121; VII, 336, 348, 371, 407; IX, 448; X, 141; XI, 395; XII, 59, 805; G. II, 524; puppes pro nautis: A. VIII, 497. — Denique arma substituuntur pro exercitu vel omnino armatis: A. I, 542, 550; II, 238; III, 54, 156; IV, 48; VIII, 120, 685; IX, 557; X, 150, 672, 796; XI, 229, 293, 308, 512, 815; XII, 192.

Venimus nunc ad eam formam, qua res, quae sensibus non percipiuntur, deos vel homines significant. Qua in forma et Vergilius et Claudianus numen vel numina adhibent pro ipso deo vel deis, quod apparet ex his locis: A. II, 141, 183; G. I, 10; IV, 7, 453, 505. Deinde verborum, quae actionem, perpessionem, eventum, affectum habitumque animi affectu excitatum, condicionem vitae, sim. designant, partus: A. VI, 786; VII, 321; IX, 298 et progenies: A. I, 19, 250; B. IV, 7 inveniuntur pro prole; pubes pro iuvenibus: A. I, 399; II, 477, 798; G. I, 343; II, 167; custodia pro custode: A. VI, 574; IX, 166; chorus pro iis, qui chorum ducunt: B. VI, 66; G. I, 346; caedes pro interfectis: A. X, 245; XI, 207, 634; pro quibus exstat strages: A. VI, 504; XI, 384; funus: A. IX, 491. Iam vero Vergilius spem usurpat pro eo, in quo aliquis spem ponit: A. II, 281; XII, 57, 168, i. e. pro homine affectum, quem in alio movet. Simili modo occurrunt haec vocabula: decus: A. VI, 546; IX, 18, 405; XI, 508; XII, 142; gloria: A. VI, 767; gaudia: A. X, 325; deliciae: B. II, 2; voluptas: A. VIII, 581; requies: A. IX, 482; dolor: A. X, 507; nefas: A. II, 285; crimen: A. XII, 600, quae apud Claudianum pari sensu reperiuntur. Addo tropos, qui ad tempus spectant. Saecula: A. I, 291, 606; VI, 793; aetas: A. VII, 680; G. I, 468 sumuntur pro hominibus, qui hoc tempore vivunt; iuventus pro iuvenibus: A. I, 467, 699; II, 63, 394; III, 136; IV, 86, 130,

162; V, 134, 555; VII, 162, 340, 672, 812; VIII, 5, 151, 182, 545, 606; IX, 226, 607; XI, 419.

Eius quoque speciei, quae efficitur, cum dei vel homines alii pro aliis substituuntur, communia horum poetarum exempla exstant. Huc pertinet usus patronymicorum, quorum e Maronis carminibus hi sunt commemorandi: Latonia pro Diana: A. XI, 534; Nereides pro Nerei filiabus: A. V, 240; Pierides pro Musis: B. III, 85; VI, 13; Alcides pro Hercule: A. V, 414; VI, 123, 392, 801; VIII, 203, 219, 249, 256, 363; X, 321, 461; Aloidae pro Oto Ephialtaque: A. VI, 582. His subiungo nonnullos locos, quibus ex uno plures intelleguntur. Qua significatione legitur Dacus: G. II, 497; Gelonus: G. III, 461; Indus: G. II, 172; Parthus: B. I, 62; G. III, 31.

Exemplis eius generis, quo dei vel homines pro rebus et hae pro illis ponuntur, illustratis accedamus ad id, quo res rebus designantur. Ab ea forma proficiscentibus, qua metonymia continetur rebus, quarum utraque in sensus cadit, pro nave usurpata occurrit alnus: G. II, 451; pinus: A. V, 153; IX, 116; X, 206, 230; B. IV, 38; quae invenitur pro face: A. VII, 397; IX, 72, 522; cornus pro hasta: A. IX, 698; XII, 267; quercus pro corona quernea: A. VI, 772; G. I, 349; buxus pro tibia: A. IX, 619; thymus pro melle thymi: G. IV, 181; crocus pro colore croceo: A. IX, 614; testudo pro lyra: G. IV, 464. Pro veste purpurea sumitur ostrum: A. V, 133; X, 722; XI, 772; XII, 126; G. II, 506; III, 17; purpura: A. VII, 251; murex dicitur pro muricis suco: A. IV, 262; IX, 614. Tum animos intendamus ad exempla, in quibus vasa vel aliae res adhibentur pro iis, quae in iis sunt: patera pro vino: A. I, 739; VII, 133; XII, 174; pocula pro aqua: G. I, 9; mensae pro cibis: A. I, 686; VI, 606; VIII, 110; nidi pro pullis: A. XII, 475; G. IV, 17; currus pro equis: A. XII, 287; G. I, 514; et contrariae formae: harena pro litore: A. I, 172; rostra pro fori Romani tribunali: G. II, 508; imber pro nube: A. III, 194; V, 10; tenebrae pro loco tenebroso: A. II, 92; VI, 734; VII, 325; Boreas pro regione septemtrionali: G. III, 278; Auster pro regione australi: G. I, 241. Cetera huius speciei exempla, quibus a Vergilio eadem vis subiecta est atque a Claudiano, sunt haec: sol pro

luce: A. I, 143, 431; II, 475; VIII, 23; IX, 461; pro calore: G. I, 48, 66; III, 132; cithara pro cantu citharae: A. VI, 120; XII, 394; tuba pro signo tubae: A. XI, 424; vulnus pro telo: A. II, 529; VII, 533; IX, 745; umbra pro frondibus: G. I, 157.

Iam properemus ad locos, quibus res, quae sensibus percipitur, eam declarat, quae ab iis est sevocata. Reperiuntur enim pro animo pectora vel pectus: A. I, 153, 197; VII, 338; B. I, 63; cor vel corda: A. I, 209; XII, 223; G. I, 123; pro oratione vel verbis os: A. VII, 194; XI, 132; XII, 692, 837; lingua: A. VIII, 723; XI, 390; XII, 911; G. II, 94. Manus sumitur pro contactu: A. VII, 490; pro pugna: A. II, 434; XII, 23, 627; pro virtute: A. VIII, 294; IX, 592, 702; X, 320, 419; XI, 289; dextra pro virtute: A. II, 291; VI, 879; VII, 234, 474; IX, 320, 807; X, 279, 830, 847; XI, 172, 385; XII, 50, 436, 538, 644; osculum pro basio: A. I, 687; G. II, 523; pro genere semen: A. VII, 281; sanguis: A. I, 19, 235, 329, 550; II, 662; III, 608; IV, 191, 230; V, 45, 299; VI, 125, 500, 762, 778; VII, 49, 98, 271, 706; X, 203; XII, 29, 838. Atque apud Vergilium etiam variae affectiones corporis aut animi per effectus quosdam sub aspectum cadentes illustrantur. Ita sudor exstat pro labore: A. IX, 458; lacrimae pro luctu: A. II, 784. — Praeterea commemorandum est palaestras vel palaestram poni pro luctatione: A. III, 281; G. II, 531; solium pro regno: A. X, 852. Signum adhibetur pro dignitate vel re, cuius proprium est, in his: sceptra pro imperio: A. I, 78, 253; III, 296; IV, 597; VII, 369, 422; IX, 9, 267; X, 852; XI, 238; fasces pro consulatu: A. VI, 818; G. II, 495; pro quo occurrunt secures: A. VI, 819. Pro victoria vel victoriis substituuntur spolia: A. IV, 93; tropaea: A. XI, 224; palma: A. V, 70, 346, 349, 380, 472, 519; G. III, 102; pro nuptiis vel matrimonio taeda vel taedae: A. IV, 18, 339; VII, 388; thalamus vel thalami: A. IV, 550; VII, 253, 388; IX, 594; X, 649. Denique cothurnus dicitur pro tragoediis: B. VIII, 10. Postremo nonnulla enumero exempla, in quibus temporis notiones respiciuntur, ut lux pro die: A. III, 117; IV, 186; VIII, 170; X, 244; B. VII, 43; frigus pro hieme: B. II, 22; aristae pro annis: B. I, 69; lustra pro unoquoque temporis intervallo: A. I, 283.

Saepe Vergilius et Claudianus consentiunt in contraria quoque forma, qua id, quod a sensibus remotius est rem significat, quae sensibus percipitur, quod comprobatur his: labor dicitur pro re labore confecta: A. II, 306; G. I, 325; fetus pro iis, quae bestiae procreant: A. III, 391; VIII, 44, 82; XII, 170; B. I, 21; III, 30; G. IV, 163, 199, 512; fletus pro lacrimis: A. II, 271; VI, 699; messis vel messes pro frugibus messis vel metendis: B. VIII, 99; G. I, 49, 103, 161, 314; IV, 330; caedes pro sanguine: A. IV, 21; VIII, 196, 695; IX, 456, 818. Nec raro inveniuntur exempla communia, in quibus consequentia quaedam significandi causa ponuntur, quae sunt haec: amictus sumitur pro veste: A. I, 412; G. III, 563; turba pro multitudine: A. I, 191; flamen vel flamina pro vento: A. IV, 241; V, 832; X, 97; morsus pro dentibus: A. VII, 112; vindemia pro uvis: G. II, 6, 89, 522; spes pro re, quae spem praebet: A. V, 672; simili sensu adhibetur decus: A. X, 858; requies: A. III, 393; voluptas: A. III, 660. Funera usurpantur pro cadaveribus: G. III, 246. A temporis notionibus metonymia petita est in exemplis, quae sequuntur: dies pro sole: A. III, 198; pro luce: A. I, 88; V, 64; X, 215; nox pro tenebris: A. I, 89; VI, 265; VIII, 255; aestas pro calore: G. II, 377; autumnus pro frugibus autumnalibus: G. II, 5.

Quibus absolutis ad eam pergam speciem, qua res, quae cerni tangive non possunt, aliae pro aliis exstant. Primo autem loco ea afferam exempla, in quibus causa adhibetur pro re effecta. Sic labores substituuntur pro rebus gestis: A. VII, 78; scelus vel scelera pro facinore nefario vel facinoribus nefariis: A. I, 347; II, 164; B. IX, 17; G. I, 506; fata pro morte: A. IV, 20. Ad contrariam formam referuntur talia: laudes pro factis laude dignis: A. VIII, 273, 287; IX, 197, 252; X, 282, 825; triumphus pro victoria: A. II, 578; IV, 37; VI, 814; VIII, 626; XI, 54; funus pro caede vel morte: A. I, 232; II, 539; IV, 308, 500; VI, 429, 458; VII, 42; XI, 28, 57; B. V, 20. His subicio, quod etiam anni ut apud Claudianum occurrunt pro aetate vel senectute: A. II, 87; VII, 53; IX, 235, 246; X, 549; G. III, 95 et vita pro ratione vitae: G. II, 532, 538.

Denique exemplum commemorem tertii generis, quo metonymia pluribus explicatur verbis, quod legitur: B. I, 61 sq.: „Ante pererratis amborum finibus exul Aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim“ i. e. ante . . . aut Parthi ad Araris aut Germani ad Tigridis ripas habitabunt.

Quae quidem hactenus. Ex iis, quae exposui, plane apparet Claudiani carmina redundare Vergilii orationis ornatu. In hoc autem uterque poeta ab altero differt: Vergilius ornatu rhetorico utitur eleganti simplicique modo, contra Claudianus eum nimis artificiose nimisque frequenter adhibet, ut saepissime uno versu duo vel tria, quin etiam quattuor contineantur exempla.
